t

De Olarcoaga /.

PROŒM

Ex Juvenilibus, ut ita Dicam Velitationibus

Hec [illegible], quon [illegible]
[illegible] ale. pax sin Comp.
Peni. del. parce q[illegible]

33036

26 NOV. 1965

Prolutio prima de essentia, origine, nomine, fine, et fortuna Philosophiae

Philosophia igitur varia explicare solet: Plato enim sic: Divinarum, Humanarumque rerum Cognitio. Aristoteles sic: Cognitio rerum prout sunt. Doctor Angelicus in hunc modum: universalis Sciencia Veritatis. Paulo aliter Doctor Eximius; Aggregatum ex omnibus doctis noticiis: Nos vero eam sic explicabimus: facultas agens de omni ente naturaliter cognoscibili; ita enim philosophia differt à theologia, et convenit cum reliquis omnibus facultatibus, quarum singulae sunt pars philosophiae, ut Moralis, quae respicit actus voluntatis, Logica, seu rationalis quae mentis operationes dirigit, Phisica, et Mathesis, quae de rebus materialibus agunt, tandem Metaphisica, quae res à materia abstractas respicit; Naturalis consistens in principiis lumine naturae notis, et Artificialis quae studio acquiritur.

Qui de Philosophiae origine longam Quaestionem instituerit operam, et oleum perdere judicandi sunt; cum profecto omnibus esse debeat, Deum optimum maximum Adamo Parenti hanc naturalium rerum universalem noticiam concessisse, eamque per ipsius filios usque ad Diluvium, post hoc per Noë Posteros ad nostram usque etatem esse protractatam licet non una eademque fortuna; nam in pretio habita est quando ei locum darent pertarma, et per bella; Deletitio vero obscuris obvoluta tenebris quoties literarum studia pro nihilo habita sunt. tandem Mortales sanior rerum effectus attenentes qui in admirationem rapti, earum Causas inquirentes philosophari ceperunt.

Hos inter aliqui recensentur viri fama eximia, et variis terrarum orbis regionibus notissimi. itaque plurimum debet Grecia Pitagorae, Platoni, Aristoteli: Thracia Orfeo; Phenicia Taleti: Egiptus Mercurio: et aliae etiam provinciae antiquis aliis philosophis, qui facultatem hanc à tenebris, atque ab hominum oblivione vindicarunt.

Ex hac Philosophorum varietate, et Regionum varia etiam, orta fuerunt priscorum Philosophorum secta, seu Schola, ut Jonica cujus princeps Tales Miletius, in Jona insula natus: Cirenaica, Eliaca, Megarensis, Academica, cujus caput Plato. Cinica stoica Autore Zenone, italica Pitagora Principe. Pirronica, et Peripatetica, quae Ducem sequitur Aristotelem; Dicitur vero Peripatetica à verbo graeco peripatteo, quod latine Deambulo redditur: Aristoteles Discipulorum turba circumfusus eos deambulando instituebat.

Haec secta jam à Doctoris Angelici tempore principatum obtinuit in Scholis, oblivioni traditis aliis philosophorum sectis. Sed ut est volubilis hominum mens non defuere seculo superiori, qui Aristoteli belum indicerent, ut eum à principatu dejicerent. Petrus Gacendus natus prope Diniam in Galia die 22 Januarii anno 1592 Astronomiam professus in Parisiensi Academia, in qua obiit 24 Octobris, anno 1655 Cleucippi, Democriti, et Epicuri Dogmata expunxit atq. illustravit; et suam sectam Atomisticam apellavit, quod in ea praecipue omnia ad Atomos reducantur.

Renatus Descartes, sive Cartesius natus 1596 cum in Mathematicis Disciplinis optime excultus esset; novum Phisicum systema meditari agressus est, quod ab ipso Cartesianum dictum. Obiit Cartesius Olmiae in Suecia die 11ā februarii anno 1650. utriusqe principia Deo auspice, exactiemus in Phisica; neq. enim volo remorari vos ea, quae apud multos hujus aetatis in sapientiae in praecio sunt.

Quaeres tamen unde Philosophiae nomen est adeptum sit, et quem finem sibi proponere debeat vir Philosophus? ad primum respondeo, eos qui modo Philosophi nominantur, olim Sophos dictos fuisse donec Pitagoras interrogatus, quâ in re sophus esset respondisse dicitur Leoncio Regi, se non Sophum, seu Sapientem, sed Philosophum, hoc est Philosophiae, sive Sapientiae amatorem esse. Respondeo ad secundum, veritatem et honestatem finem esse, quem sibi unusquisque Philosophorum proponere debeat. his notatis en vobis ordinationes, seu regulae, quibus instructi ad Certamen descendere debetis.

Prolusio secunda arguenti et respondenti leges indicuntur

Prima arguentis lex est, ut nunquam ad theatrum accedat quin domi argumentum non modo meditatus fuerit, sed etiam diligenter scripserit scriptumque memoriæ mandaverit, ut ita facilius respondentes urgere, fugientique occurrere posit. In theatro constitutus miras à capite actus teses reverenter ac detecto capite accipiat, ac sistenti caput perurbanè inclinet: Conclusionem, quam in impugnandam susceperit interea legat sibi secreto; et cum tempus ei datum fuerit surgat, et detecto capite sic defendentem salutet.

Ingeniose defendens (addat si quos habeat nobilitatis, seu professionis titulos) adversus alteram ex tuis tesibus insurgam si mihi prius dicendi facultatem præstiterit hujus literarii actus Moderator Dignissimus (addat titulos quos habeat) Præses tuus sapientissimus philosophiæ interpres acutissimus, Professores eruditissimi Doctores egregii Religiosissimi Patres, et reliqua adstantium corona. his dictis sedeat caput tegat claraque voce sic prosequetur.

Cui loquitur lexe medium adversus Conclusionem positam Vg. Columna prima numero primo ubi habes: repugnat signum sui, contra quam en lexe medium. Proponat statim argumentum in hunc modum: aliquod signum significat se: ergo res non repugnat signum sui. Attendat deinde, quid sibi concedatur, negetur, aut distinguatur, semper enim propositionem negatam probare debet. his pro arguente notatis veniamus ad respondentem.

Secunda lex est, ut respondens caput non tegat donec ipsi propositum fuerit argumentum. tunc vero teget reverenter inclinans, arguentem resalutet sic. Illustrat meas teses ingeniosus arguens (addat quos habeat titulos) et præcipue suscipit ad impugnandam Conclusionem positam (dicat numerum, et Columnam, seu Seriem)

in

in quâ hoc habes: repugnat signum sui, contra quam hoc utitur acutissimo argumento. Statim bis ac fideliter repetat argumentum. prima vice nihil respondeat. Secunda vero verum concedat, dubium distinguat, falsum neget, et cum aliquam propositionem negaverit non procedat ad aliam; sed eam arguenti probandam relinquat. Si conclusio sit dubia, et distinguenda non dicat distinguo consequentiam, sed distinguo consequens. Propositionem vero semel negatam nunquam sine distinctione concedat. 3a Lex est, ut si arguens praeterquam, quod afirmat, aliquid falsum supponat, ut si diceret: signum quia imperfectius suo significato debet à significato distingui, non modo neget propositionem, sed etiam dicat non admitto suppositionem. 4a Lex est, ut si arguens utatur in argumento terminis repugnantibus, aut ad initium argumenti redeat, aut mutet medium; respondeat modeste tamen: implicas in terminis, petis principium, mutas medium et si opus fuerit retorqueat etiam in arguentem. v.g. si diceret arguens: unio nequit separari in extremis: ergo ab illis non distinguitur: retorquebit sic pater Aeternus nequit separari a filio divino ergo ab illo non distinguitur. 5a Lex est: ne recedat per quaestionem. hoc est ne adducat pro solutione conclusionis quae quaestio est de qua disputatur. Neque debet in argumento nisi interrogatus dare rationem conclusionis propositionis negatae, aut concessae: hoc enim solum fit in solutione, quam daturus est prius dividendo, et explicando. deinde eamque pluribus rationibus, auctoritatibus confirmando. Ut clarius in respondendo exprimerit teneat conjunctiones aliquas, et transitiones, quae nec tritae nec nimis longae sint. Tandem si argumentum ab aliquo sive Doctore, sive professore corroboretur cum in hunc modum salutet. addit argumento vires sapientissimus vir (addat reliquos titulos) hac acutissima ratione. Si incepta jam disputatione vir maximae notae advenerit tacebit respondens donec ille sedeat, et postea surgens dicat: exactissima concertatio dignissimus moderator contra conclusionem (illa-

legat) et nunc versabamur in hoc silogismo. repetat silogismum, et deinde prosequatur.

Prolusio 3ª tres mentis operationes proponit

Triplex distinguitur mentis operatio, nempe Aprehensio, quæ nec afirmat, nec negat, et correspondet huic conceptui Deus qui quia constat unico tantum termino dicitur simplicissimus; simplex vero dicitur quando duplici saltem termino constat, ut Deus optimus. ad Aprehensionem reducitur dubium: ut an stelæ sint pares? Judicium, seu propositio ita dicitur, quia de re judicat, afirmans, vel negans constatq[ue] subjecto copula, et prædicato: sit exemplum: Deus est summum bonum; hic Deus est subjectum, est [illegible] est copula, summumque bonum est prædicatum.

Discursus seu argumentatio est cognitio inferens aliquid ex aliquo, et est multiplex, alius dicitur silogismus constans tribus propositionibus, mayore minore, et consequentia: ut omnis homo est animal; sed Petrus est homo: ergo petrus est animal. alius dicitur Enthimema, constatque duplici tantum propositione: prima dicitur antecedens: secunda consequentia: ut petrus est homo: ergo est animal. Dilema est argumentatio utrinque omnem intercludens viam ne aditus pateat respondenti, ita ut quælibet antecedentis parte conversa se ipsum adversarius confodiat: ut credis pecatum mereri æternum suplicium vel non credis? si secundum: ergo es ereticus: si primum qui [illegible] haberi voluptatem tibi comparas æternam penam.

Inductio fit quando enumeratis singularibus infertur aliqua veritas: ut petrus, paulus, Joannes sunt visibiles: ergo omnis homo est visibilis. huc reduci potest argumentum a paritate quod fit quando a similitudine unius cum alio intenditur probari idem de omnibus: ut Deus pecata remisit Divo Petro penitenciam agenti: ergo et tibi remittet si penitenciam agas, tandem ultima argumentorum species dicitur sorites et fit quando gradatim unum ex alio inferimus. ut petrus est homo. omnis homo est animal; omne animal est vivens: ergo petrus est vivens. his prælibatis sit jam . .

LIBER PRIMUS

De Logica per se, seu Directa

Prooemium

Quaestiones, quas nunc agredimur dici solent Summulae, quia ad illas totius Logicae Summa reducitur; nos vero illas apellabimus: Logicam Directam, seu per se, quia Logica primario hac directe respicit omnes species modi sciendi, quarum regulae potiori jure logica nuncupandae sunt, quam caeterae quaestiones reflexae, quae in logica exagitantur. Sed quoniam id ratio postulat praemittenda est Disputatio de Signo. Quare sit.

Disputatio prima de Signo in communi et in particulari

§. 1a Signum non debet esse imperfectius, neque perfectius suo significato

Ita Schola Jesuitica, et Subtilis cum suo Augustino Doctore Eximio, et Subtili contra Thomistas, qui communiter sic signum definiunt: quod potentiae cognoscenti aliud a se imperfecte repraesentat, vel sic: Objectum movens potentiam ad cognoscendum aliud a se substitutive, quibus definitionibus intendunt primo thomistae, signum debere esse imperfectius suo significato, quod explicant per ly imperfecte. Secundo signum debere a suo significato distingui, quod explicant per ly aliud a se.

Probatur 1º sma conclusio autoritate Divi Augustini libro de Magistro Capite 3º dicentis: saltem est omnes res plures, quàm earum signa esse pendendas; et paule post proponit exemplum in nomine vicium, ex quo sic arguo: hoc nomen vicium est signum; sed non est imperfectius suo significato: ergo signum non debet esse imperfectius suo significato. Mayor probatur ex eodem Divo Augustino dicente: omnia verba signa sunt. Minor patet quia solum illa vox est vicium nomine tenus, et significatum est vicium in essencia ideoque longe imperfectius.

Probatur 2º Eucharistia sacramentum est signum gratiae, sed non est imperfectius gratia: ergo. Mayor est de fide. Minor est theologica nam ut inquit Divus thomas: Eucharistia est compositum ex speciebus, et Christo Domino; sed hoc compositum non est imperfectius gratia, nam Christus est infinite perfectior illa: ergo.

Probatur 3º Verbum Divinum est signum; sed non est imperfectius suo significato: ergo. Mayor probatur. Ens notum, in quo aliud cognoscitur est signum; sed verbum Divinum est ens notum, in quo aliud cognoscitur: ergo. Mayor hujus silogismi est sentencia Divi thomae questione 8ª de veritate, articulo 4º ad 5um dicentis: comuniter possumus signum dicere quodcumque notum, in quo aliud cognoscitur. Minor aducitur ex verbis ipsius Christi varius in locis, et ex sentencia thomistarum, ac dicentium: Beatos in verbo Divino tanquam in speculo plura objecta cognoscere.

Roboratur eadem mayor. id, quo pater aeternus loquitur est id, quod pater aeternus significat; sed verbum Divinum est id, quo pater aeternus loquitur: ergo est id, quod pater aeternus significat. Ergo est signum: sed nullo est imperfectius: ergo signum non debet esse imperfectius. Mayor hujus silogismi nititur autoritate Divi Augustini dicentis: omnia verba signa sunt; et ratio est, quia loqui includit significare, alias stulta esset locutio, nam stulte cum alio loqueretur homo, qui per voces nihil significaret: ergo pariter Deus si nihil significaret per Deum, quod quidem est locutio patris dicente Divo paulo: novissime locutus est nobis in filio.

forte respondebunt Thomistae dicentes Verbum Divinum esse signum, et esse imperfectius suo significato nempe Deo- non autem in ratione Verbi, seu entis, sed in ratione signi. Contra vero idem est realiter Verbum Divinum in ratione Verbi seu entis ac in ratione signi; alias haberet partes realiter inter se distinctas: ergo si non est imperfectius in ratione Verbi, neque est imperfectius in ratione signi.

Sit 2a Conclusio Arguunt 1o Thomistae. Substitutum est imperfectius illo cujus est substitutum; sed signum= est substitutum significati: ergo signum est imperfec= tius significato. Probatur Major. Propterea quia= pro Rege substituit est imperfectior illo: ergo etiam= signum. Probatur Minor. Signum ponitur loco sig= nificati; sed quod ponitur loco alterius pro illo subs= tituit: ergo. Respondeo. Nego primam, et secundam= minorem; quia Subsistencia Divina in Christo substituit pro humana, et non est imperfectior humana: falsa est etiam minor, quia signum naturale non ponitur loco significati, ut fumus loco ignis. Verum si placet distinquere poteris primam majorem sic: Substitutum in excelencia, et dignitate est imperfectius illo, cujus est substitutum, quia ab eo accipit virtutem, et autoritatem concedo: Substitutum in aliquo gerendo munere nego majorem, et distinguo Minorem: Signum est substitutum accipiens v. nego minorem; est substitutum in aliquo gerendo munere= et non accipiens v. Concedo minorem, et nego consequentiam. Sic Deus maxima sui perfectione substituit pro causa= creata, quando illius effectum suplet. Sic etiam Theologiae professor, potest pro Philosophiae professore substituere= quin sit illo imperfectior. Arguunt 2o. Quod mensura= tur, specificatur, subordinatur, et est medium ad aliquid ca illo imperfectius; sed tale est signum respectu significati: ergo. Respondeo nego majorem quoad omnes partes= quoad primam, et secundam, quia omnis cognitio mensuratur, et specificatur a suo objecto, quidditative, et tamen hec cognitio peccatum non est suo objecto imperfectior. quoad= tertiam, quia Deus dicit ordinem intrinsecum ad posibilia, quin sit illis imperfectior. Quoad quartam denique quia Sacramenta, et merita Christi Domini sunt medium da Ve

missionem peccatorum, quia sint imperfectiora remissione peccatorum. Negari etiam potest, signum esse subordinatum et dici potius hoc illi subordinari, cum ab eo accipiat denominationem significati.

Arguunt 3°. quod dependet ab alio est imperfectius illo; sed signum dependet à significato: ergo. Respondeo Distinguo majorem: quod dependet dependentia causalitatis, ut effectus à causa transeat major; dependentia connexionis; nego majorem. hac dependentia dependet tam signum à significato, quàm significatum à signo, quia unum nequit esse sine alio, neutrum vero dependet dependentia causalitatis, quia nullum causat phisice aliud.

Arguunt 4° ab authoritatibus, et audent thomistae nobis oponere Divum Augustinum dicentem: parum ergo intelligas volo res, quae significantur pluris quam earum signa esse pendendas. Respondeo cum eodem Doctore postea se retractante: falsum est omne res pluris, quàm earum signa esse pendendas.

Sectio secunda datur signum sui

Probatur Conclusio 1° autoritate Divi Augustini libro de Magistro capite 4° dicentis: Cum dicimus signum non solum signa caetera quaecumque sunt, sed etiam se ipsum significat. Deinde Capiti 6.° cum praefixit titulum signa sui significativa: signa sui significativa, et pernes finem via perventum est ad ea, quae se significant: ergo juxta Divum Augustinum datur signum sui.

Probatur 2°. hac ratione. hec vox nomen significat omnia nomina; sed ipsa est nomen ergo se ipsam significat. probatur major. haec voc nomen significat id, quod homines voluerunt comprehendere sub illa; sed homines voluerunt sub illa comprehendere omnia nomina: ergo significat omnia nomina. Audite tamen thomistas contradicentes Divo Augustino, cujus est hoc argumentum. respondent igitur, hanc vocem nomen non esse proprie signum sui, quia non se ipsam clare significat, sed solum in confuso, quia significat omnia nomina in comuni.

Sed contra 1°: ergo solum voces individuales, ut Petrus, Bancino &. sunt proprie signum?

probatur absurdum. per vos solum est proprie signum quod non significat confuse, et in comuni: ergo solum voces individuales sunt proprie locutio. probatur conse quentia. essentia locutionis est esse vocem significativam ad placitum: sed hoc per vos solum convenit vocibus indi vidualibus: ergo.

Probatur 3º. Christus Dominus in Eucharistia se ipsum representat: ergo est signum sui. quis an tecedens hujus enthimematis negare audebit cum audiat Christum dicentem: hac quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.... hoc facite in meam commemorationem. dicent forte thomistae Eucharistiam non representare Christum; sed ejus passionem. sed contra est Eucharistia representat id, cu jus est memoriale; sed est memoriale Christi: ergo repre sentat Christum. Mayor videtur innegabilis; minor constat ex verbis ipsius Christi, qui non dixit in memoriam meae passio nis, sed in mei memoriam facietis.

Probatur 4º. paritate: potest quis se ipsum dare, ut Christus, qui teste Divo Paulo dedit se metipsum pro nobis. se ipsum vendere; ut Divus Paulinus Nolanus, qui se ipsum vendidit, ut captivum redi meret, se ipsum cognoscere, ut intelectus, qui se ipsum cog noscit per hanc cognitionem intelectus. se ipsum offerre ut Christus Dominus, qui se aeterno patri obtulit, tandem se ipsum cum ire, amare, videre: ergo et se ipsum signi ficare. tene pro dictis has paritates.

Nota in fine, moveri thomistas ad negandum signum sui inter alia; quia esse signum, inquiunt est esse objectum motivum; et esse significatum est esse objectum terminativum; et implicare eamdem rem esse objectum motivum et terminativum simul. sed exemplum. haec vox homo men est objectum motivum, quia movet intelectum, et est objectum terminativum, quia sistit intelectus in ipsius, et aliorum nominum cognitione.

Sed quaenam inveniatur repugnantia in eo, quod eadem res sit objectum motivum, et terminativum si mul plane non video. certe thomistae si hac utantur ratione cum ad argumenta nostra respondeant, per quaestionem respon disse judicandi sunt. idem enim est representare se, ac esse objectum motivum, et terminativum simul: ergo ideo ens non potest representare se, quia esset signum sui?

Arguunt 1°. thomistæ. Signum est notum, et significatum ignotum; sed nulla res potest esse nota et ignota simul: ergo neque signum, et significatum simul. retorqueo et infero = sic contra thomistas: ergo nulla res potest esse signum unius, et significatum alterius. Nego deinde Majorem, quia vel loquitur de actu primo, vel de actu secundo. Si de actu primo utrumque est ignotum. Si de actu secundo utrumque est notum, quia in tali actu constituitur utrumque per cognitionem, ut postea dicemus.

Arguunt 2°. Causa nequit se ipsam causare: ergo neq. signum se ipsum significare. Retorqueo iterum: ergo neque unio se ipsam unire; neque voluntas se ipsam amare &. Concedo deinde antecedens, nego consequentiam, et est disparitas; quia causa extrahit effectum de non esse ad esse per physicum influxum, qui stare non potest sine distinctione reali; non ita signum respectu significati inter quæ non intercedit influxus physicus.

Arguunt 3°. omne signum refertur ad significatum; sed nulla res potest referri ad se ipsam: ergo nulla res potest esse signum sui. Respondeo concessa majori, nego minorem, quia relatio non est ordo unius ad aliud, sed ad aliquid, ad quod sufficit distinctio formalis, quæ à nobis admittitur inter signum, et significatum.

Arguunt 4°. Christus in hostia non est signum sui: ergo nulla res est signum sui. Probatur antecedens. Solum est signum in hostia id, quod frangitur, ut canit ecclesia signi tantum fit fractura; sed non frangitur Christus: ergo non est signum. Respondeo nego antecedens, ad cujus probationem distinguo majorem: solum est signum sensibile id, quod frangitur concedo majorem; insensibile nego majorem, et concessa minori nego consequentiam. Duplex igitur signum est in hostia. unum est sensibile, nempe accidentia, quæ sensibus corporeis percipiuntur, aliud insensibile, quod sensibus percipi non potest, et est ipse Christus, qui manet integer in fractione hostiæ.

Arguunt tandem: panis appensus ad januam non est signum sui: ergo nulla res est signum sui. Probatur antecedens. panis signum importat aliquid, quod non importat panis significatum. Ergo. Probatur antecedens. Panis signum importat voluntatem hominum volentium esse signum; sed hanc non importat panis significatum

ergo: respondeo nego primum, secundum, ac tertium antecedens; quia si panis signum importat voluntatem hominum volentium esse signum: etiam panis significatus hanc voluntatem hominum importat, quia pariter homines volunt esse significatum.

Et ad clariorem argumenti intelligentiam nota pro nunc in quolibet signo ad placitum, ut est panis et voces duo reperiri; primum essentiam rei, seu rectum. Secundum voluntatem hominum volentium illud esse signum, quae voluntas est obliquum. ad ergo agitur de signo non de obliquo, sed de recto agitur. sic cum dicitur panis signum est vendibilis non intelligitur de obliquo, alias enim esset etiam vendibilis voluntas hominum, quod est absurdum. hoc rectius intelligetis cum vobis tradita fuerit noticia de concretis, et abstractis.

Sectio 3ª. Definitiones, constitutiva et reliqua de signo in communi proponit

En nostram signi definitionem: Ens intencionaliter objective movens potenciam cognoscentem in alicujus noticiam. Explico illam. dicitur Ens, quod idem est ac potens existere. dicitur intencionaliter objective movens, hoc est quod cognitum excitat noticiam alicujus. dicitur potenciam cognoscentem, ut definiantur signa, quae habent bruta, ut canes aves &. dicitur tandem, in alicujus noticiam, quia significatum non debet esse aliud à signo, sed aliquid. Sic definies significatum: Ens ad cujus noticiam intencionaliter objective movetur potencia cognoscens. locuti sumus hactenus de signo, et significato in actu secundo.

Probatur rectitudo definitionis. haec Definitio explicat formaliter totam essentiam metaphisicam; sed talis explicatio est recta definitio: ergo. Major probatur: tota essentia Metaphisica signi sunt illa praedicata, quae sub conceptu signi communiter intelliguntur; sed esse ens, quod intencionaliter objective & sunt illa praedicata, quae sub conceptu signi communiter intelliguntur: ergo. Major est certa. Minor probatur duplici authoritate Divi Thomae. prima est: Communiter possumus signum dicere quodcumque notum, in quo aliquid cognoscatur. Secunda est: Signum proprie loquendo non potest dici aliquid, nisi ex quo deveniatur in cognitionem alterius quasi discurrendo; sed hoc nihil est aliud, nisi Ens intencionaliter objective movens &: ergo. unde.

Resolvo 1º. Constitutiva signi in actu secundo sunt tria. Primum est ens, quod denominatur signum. Secundum est cognitio excitans. Tertium est cognitio excitata. Sumi etiam potest signum in actu primo proximo, quando scilicet ipsi nihil deest, ut significet, nisi sola cognitio: signum in actu primo remoto quod non habet omnia requisita ad significandum, et constituitur in tali actu solum per ens. Similiter de constitutivis significati in eodem actu discurrendum est.

Resolvo 2º. Signum formale non est proprie signum. Haec resolutio est contra multos ex nostris. Dicitur signum formale cognitio, seu motio, vel repraesentatio, qua potentia cognoscens cognoscitur. movetur, ipsique repraesentatur significatum. Probatur ex eo, quod illi non convenit nostra signi definitio, quia talis cognitio non movet intencionaliter objective, sed solum formaliter: ergo. Confirmatur et ex Divo Thoma enim. Signum debet esse objectum cognitum; sed talis cognitio non est cognita: ergo. Roboratur paritate multiplici. Cognitio non cognoscitur: ergo neque repraesentat; sed est repraesentatio, qua objectum fit praesens intellectui. Unde actio non causat: sed solum est causalitas: ergo neque cognitio est signum, sed ad summum est significatio.

Resolvo 3º. Quodlibet ens potest esse signum alterius cujuscumque entis. Probatur. Quodlibet ens, vel ratione similitudinis, vel dissimilitudinis, connexionis, oppositionis, dependentiae, identitatis vel distinctionis potest movere intencionaliter objective &; sed hoc sufficit ut possit esse signum alterius cujuscumque entis: ergo.

Resolvo 4º. Quodlibet ens potest esse signum sui. Probatur. Quodlibet ens potest esse objectum unius cognitionis excitantis aliam cognitionem ejusdem objecti; sed hoc sufficit, ut quodlibet ens possit esse signum sui, ut patet ex dictis: ergo. Major patet nam ramus v.g. recognitionis qua cognoscitur potest excitare aliam cognitionem sui. v.g. cognitione esse substantiam, qua cognoscitur ramus, et simul alia creata vel substantiae: ergo.

Resolvo 5º. Quaelibet creatura est signum ad placitum Dei. Probatur. Deus omnia operatus est ad suam gloriam, hoc est volendo, ut creaturae rationales veniant ad cognitionem Dei, ipsumque cognoscendo laudent, laudando ament; sed ad signum ad placitum solum requiritur esse ens, quod voluntas alicujus instituat ad repraesentandum ali=

quid: ergo. Mayor probatur testimoniis Sacrae Scripturae:
omnia per se metipsum operatus est Dominus.... invisibi
lia dei per ea, quae facta sunt intelecta conspiciuntur. Be
nedicite omnia opera Domini Domino.

Opones 1º contrariam
am signi definitionem. Definitio, quae non constat genere, et
Diferentia non est bona; sed Vestra signi Definitio non
constat genere, et Diferencia: ergo. Scias ante solutionem
genus in definitione esse Conceptum illum, per quem Definitu
convenit aliis Diversae speciei; v.g. Conceptus animal in defini
tione hominis, quo homo convenit cum leone: Diferenciam
vero esse conceptum illum, quo definitum difert ab aliis diver
sae speciei, v.g. rationale in eadem Definitione, quo difert
homo ab eodem, et aliis, quae non sunt homo. hoc suposito.

Respondeo: nego absolute mayorem entia enim universalissi
ma qualia sunt cognoscibile, distinctum, idem, ens, posibile &
sub aliquo ex his conceptibus nec posunt cum aliis convenire
nec diferri, quia nullum est ens, quod non sit cognoscibile, dis
tinctum, et tamen posunt recte definiri. Quare argumentu
solum probat debere constare genere, et diferentia definitionem
illius, quod habeat cum quibus conveniat, et a quibus
diferat; non vero Definitionem signi, quia omnia entia
signa sunt.

Opones 2º contra primam Resolutionem in
ferendo sic: ergo signum et significatum non debent distin
gui nec realiter nec formaliter. 1a pars est conclusio mat.
probatur absurdum quoad 2am. tam signum, quam signifi
catum ut talia habent eamdem Definitionem; sed quae habent
eamdem Definitionem non distinguuntur formaliter: ergo. pro
batur mayor. Definitio signi dicit ens cognitum cognitionem
excitantem, et excitatam: atqui hoc idem dicit Definitio signifi
cati: ergo. Respondeo nego consequentiam, et mayorem proba
tionis, ad cujus probationem distinguo sic mayorem. Definitio
significati dicit ens cognitionem excitantem et excitatam eodem
modo nego minorem; diverso modo concedo minorem et
nego consequentiam.

Itaque Definitio signi dicit: ens inten
cionaliter &. Definitio autem significati dicit ens ad cujus noti
ciam intencionaliter objective movetur potencia cognoscens.
atque hoc sufficit, ut utraque Definitio sit diversa. Sicut di
versa est Definitio ignis prout est causa alterius ignis, et de

finitur: quod dat esse termino finito, et ipsius prout est effectus, definitur enim: quod accipit esse, per quas definitiones distingui tur formaliter ignis causa ab igne, qui est effectus.

Opones 3º contra secundam resolutionem. unio proprie unit: ergo cognitio proprie significat. nego consequentiam, et est disparitas ipsa essentia unionis, que est unire extrema, et se ipsam cum extremis; nam aliter ad unionem requireretur alia unio, ad hanc alia, et sic in infinitum: essentia vero signi est movere, seu excitare cognitionem alicujus, et quidem intencionaliter objective, quod solum convenit objecto. Instas albedo proprie dealbat: ergo cognitio proprie cognoscit. Insto ergo pariter: ergo albedo est alba: ergo cognitio proprie cognoscit. respondeo insuper, nego consequentiam, et est disparitas, quia denominatio dealbantis exprimit principaliter formam, que est albedo: denominatio vero signi exprimit principaliter id, quod movet intencionaliter &. quod solum convenit objecto cognito.

Instabis iterum. cognitio ens est cognitio sui, quia est ratio cognoscendi se, et alia entia; sed prout est cognitio sui est signum sui: ergo cognitio est signum objecti; sed non est signum instrumentale: ergo est signum formale. respondeo contra majori distinguo minorem: cognitio ens prout est cognitio sui representate est signum sui, concedo minorem; prout est cognitio sui representantis, nego minorem, et consequentiam. cognitio ens cum sit cognitio reflexa simul est cognitio sui, et objectum à se representatum. verum prout est cognitio sui non est signum, nec sui nec alterius, sed solum est significatio: prout est objectum cognitam à se tunc est signum instrumentale.

Opones 4º contra 3am, et simul contra ultimam resolutionem inferendo ab absurdis: ergo peccatum poterit esse signum gratiæ: errores signum veritatis: Demon signum immaculatæ Virginis, et sic de aliis? Diluendo, vel demonstrando absque mora; speciosa est absurdorum comenta. Quid enim impedit quominus peccatum moveat intencionaliter objective ad noticiam gratiæ, et Demon pedibus Virginis protritus, conceptionis illius triumphum nobis redigat in memoriam?

Instas 1º. Autoritate Divi Augustini libro de Doctrina christiana dicentis: omne signum res aliqua est: non vero omnis res etiam signum est. 2º ergo vox homo significat lapidem. respondeo ad primum.

Divum Augustinum loqui non de signo titulo Comuni, sed de signo titulo particulari, et de signo instituto, et significante ad placitum alicujus, quo titulo omne ens non est signum alterius cujuscumque, quia ad hocius titulum non est. Ad 2um Distinguo consequens: Vox homo significat lapidem titulo comuni concedo; titulo particulari nego consequentiam. Dicunxe similiter de Vocibus non significativis. Vg. Blictiri.

Opones 6° contra 1am resolutionem. Significatum, ut significatum est aliquod ens; sed ut significatum non signum sui nec alterius: ergo quodlibet ens non potest esse signum sui et alterius: respondeo concesa mayori distingo minorem; non potest esse realiter signum sui, nec alterius, nego minorem; formaliter concedo minorem, et consequentiam. itaque nos non aserimus quodlibet ens sub quocumque conceptu posse esse signum alterius cujuscumque entis, et sui; sed solum sub aliquo conceptu, sub illo nempe, sub quo posit movere intencionaliter objective.

Sectio 2a Divisiones signi proponuntur

Dividitur 1° signum in instrumentale et est ens cognitum, quo tanquam instrumento utitur intelectus, et movetur ad significati cognitionem. in nostra sentencia quodcumsignum erit instrumentale. 2° in signum in actu 1° et signum in actu 2°; sed adverte dici signum in actu primo precisive quando constituitur solum per potenciam significandi; vel exclusive quando constituitur per per potenciam significandi, et carentiam hujus, quod est significare; sive haec carentia sit impedimentum, quod habeat signum, ut moveat. Vg. ramus in silva, vel potencia cognoscens, ut moveatur, Vg. Cecitas. similiter de significante dicuntur.

Dividitur 3° in signum ex titulo comuni, et in signum ex titulo particulari, de quibus numero 38. 4° in signum naturale, quod ex natura sua potest intencionaliter objective &. in quo sensu entia supernaturalia ut Deus, gracia &. sunt signa naturalia, quia id praestare possunt ex natura sua; licet supernaturalia; imo omne ens est signum naturale titulo comuni cujuscumque entis; non vero titulo particulari, quia ex hoc titulo debet esse: ens, quod ex natura sua speciali potest intencionaliter &. Vg. omnes actus vitales, intelectus, voluntatis, et etiam sensuum externo

rum, imagines, statuæ, et effectus illi, in quibus causa relucet, ut sacramenta respectu Dei.

Signum ad placitum est: quod ex voluntate alicujus institutum est, ut intencionaliter objective &. Dixi alicujus, quia sufficit voluntas unius, quomodo ex voluntate solius Dei omnes creaturæ sunt signum ad placitum Dei. Signum ex consuetudine est: ens, quod ex aliqua consuetudine movet &. ut extensio mapparum est signum prandii, canis signum domini appropinquantis. Signum casuale est: quod ex aliquo casu movet &. talis est lapis, in quem casu offendisti, qui visus excitat memoriam offensionis, seu lapsus.

Subdividitur etiam a Divo Thoma in rememorativum, quod rem præteritam significat, ut christus in eucharistia suam passionem; in demonstrativum, quod rem præsentem demonstrat, ut umbra horologii solaris horam labentem. Subdividitur iterum in practicum, quod causat id, quod significat, ut sacramenta gratiam, et in speculativum, quod non causat id, quod significat, ut ramus respectu vini. Sunt tandem signa prognostica, quæ futura prænunciant. Sic.

...Ceruleus pluvias Sol nunciat, igneus euros.........
|...Palida Luna pluit rubicunda flat alba serenat........|

Quæres in fine an bruta habeant signa? Respondeo affirmative, et ideo signum definientes non diximus intellectum, sed potenciam cognoscentem, qualem habent bruta, ut experientia docet: mures enim aliquo signo futuram ruinam domus præmuniunt: canes venatici ferarum cuniculos, et vestigia; audito que vocis sono advolant ad dominum. Sic Æton Palantis pueri equus illachrimatus est domini mortem, teste Virgilio:

....Post Bellator equus positis insignibus Æton.........
[....Hic lacrimmans, guttisque humectat grandibus ora.......]

Sectio quinta de signo vocali.

Vox late sumpta, est: sonus ab ore animali prolatus. Stricte si sumatur debet addi: significativa ad placitum proferentis, quo additamento solum verba agentis rationalis voces sunt, et excluduntur latratus canum, hinnitus equus, voces psitaci &. Unde vox est concretum dicens in recto entitatem soni, et in obliquo significationem, aut intencionem proferentis. In hoc rigoroso sensu nec verba ab ebrio agente vel somniante prolata voces sunt.

Quæres 1º an vocum significatio sit arbitraria, an naturalis? Respondeo cum Aristotele esse arbitrariam, quia si omnes mutarent vocum significationem, ut plerumque accidit, voces aliter significarent: ergo. Objicies 1º homini sermo est naturalis, sicut Leoni rugitus, et reliquis brutis, quæ sua naturalia signa habent, quibus ipsa secum mutuo quasi loquuntur: ergo. 2º. Genesis 2º dicitur: omne, quod vocavit Adam animæ viventis ipsum est nomen ejus: ergo vocum significatio arbitraria ~~est~~ ~~enim~~ non est, sed naturalis.

Varie respondetur a variis his argumentis. Omissis eorum responsionibus. Respondeo ad 1um nego antecedens. Verum est signa illa, quibus utuntur bruta esse ipsis naturalia, non arbitraria; cum enim illa non gaudeant intellectus ratione, et voluntatis arbitrio, oportuit, ut Creator omnium Deus una cum instinctu bruta signis donaret: hominem vero intellectu instruxit, quo res cognosceret, et voluntate, qua res eligeret. Unde ad hominem spectat ~~cognitio~~ exercicium voluntatis suæ, et intelectus, quibus usus est dum nomina rebus elegit imponitque.

Ad 2um concedo antecedens, et nego consequentiam. Deus constituit Adamum tanquam Dominum Creaturarum, ad quem proinde attinuit nomina illis imponere. Vide usum Domini ejus eis quasi subditis nomen imponit, inquit hic. Quare nomina ab Adamo rebus imposita, non erant rerum nomina, eo quod eorum significatio rebus esset naturalis; sed eo quod nullo alio nomine deinde apellandæ forent, cum ab omnibus standum esset Adami impositioni factæ juxta ipsarum rerum naturas, et proprietates.

Quæres 2º an omnis vox sit signum naturale tam conceptus, quam rei? Respondeo negative loquendo de signo naturali titulo particulari; nam de titulo communi jam loquimus jam §º de signo naturali agebamus. Probatur vero lucide. Signum naturale est: ens quod ex natura sua specialitio movet ~~et~~. sed omnis vox non sic movet: ergo. Minor probatur. multæ voces, et fere omnes sunt indiferentes, imo si proferantur coram Hispano, Ebreo, et flandro diversos conceptus, et res significant; sed quod sic significat natura sua speciali non est sic indiferens: ergo. Mayor patet in hac voce sus, quæ apud Ebreos equum significat apud latinos porcum apud flandros silentium.

Quæres 3º. an aliquæ saltem voces sint etiam signum naturale titulo particulari? afirmo, et sic exemplum in voci bus, quæ penes normato pesam dicuntur, ut Ululatus, Latra tus; Mugitus, et similes, quæ ipso sono rem et conceptum ex primunt, sic etiam interjectiones letitiæ, et Doloris, et voces aliquæ, quæ tali vi rem significant, ut ejus naturam indue re videantur, qualis est hæc nostra vox terra tremo.

Quæres 4º. An voces signum ad placitum invariabile? respondeo cum distinctione, et afirmo de illis, quæ titulo speciali sunt signa naturale, quia ista variari non posunt; nego de cæteris quia ut in inquit oratius:

...Multa renascentur, quæ jam cecidere cadentque...
...Quæ nunc sunt in Oblivio vocabula, si volet usus...
...Quem penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi...

Quæres ultimo. si quis in libris sitis crearetur quonam u teretur idiomate? multi dixerunt locuturum Ebraicum: ego vero pro certo habeo illum nullo idiomate locuturum. id spertum est anno 1536. in puero, qui jure Regis Acheda abditus ibique educatus fuit, et nullo idiomate loquebatur. id ipsum modo experiebatur Ceras Aquis in femina inven ta vicino in monte, quæ ad urbem translata non modo nu llo utebatur idiomate, sed nec ullum potuit vel mediocriter addiscere.

Sectio ultima de signo locutivo, et non locutivo

Signum vocale locutivum est illud, quo non modo aliquid signi ficamus, sed etiam aliquid loquimur. tale est omne signum vocale, quod correspondet actui intelectus afirmanti, vel negan ti, ut propositiones, et discursus vocales, quia loqui est: pro ducere verbum, et verbum definitur: expresio asertiva ab intelectu producta. aprehensiones autem vocales, quæ cumque illæ sint non sunt locutio, quia nulla aprehensio est expresio asertiva. et hæc est ratio obquam bruta loqui non posunt.

Quod si dicatur Asinam Balaam profe tam increpasisse; intelligendum est scriptura textus de locutione lata, et pure materiali quia voces illæ non erant prolata ad placitum proferentis; sed Deus juxta altisima sua concilia organis Asinæ uteba tur, ut Profetam increparet.

Itaq.e Duplex potest esse locutio, voce nempe, et verbo. Prima consistit in sono ab ore animalis prolato significativo ad placitum proferentis, quomodo loquuntur homines. Secunda consistit in expressione mentali accentiva ab intellectu producta, ita Deus, et Angeli loquuntur inter se, et sepe cum hominibus. utraq.e est proprie locutio, quia utraque est propria productio verbi; prima mentalis, vocalis secunda: hac de causa locutionem Definiens dixi: esse producere verbum, et non dixi vocem; quia licet quaecumq.e vox stricte sumpta sit verbum; non tamen quodcumque verbum ut Divinum et Angelicum est vox.

Signum non locutivum duplex est, quia locutivo equibalet, primum gestus, qui definitur: motus corporis ab animali exibitus significativus ad placitum exibentis. Secundum est scriptura, et Definitur: Nota a rationali impressa significativa ad placitum imprimentis. utrumq.e immediate significat rem, et conceptum; homines enim utroque id significari voluerunt. Sed nota gestus, et scriptum esse signa locutionis non absolute, sed conditionate, hoc est non significans gestientem, scribentem absolute loqui, sed non aliter locuturos, quam vocibus, quae illis gestibus, et scriptis respondent, si loquerentur. Nota 2.o neq.e Deum, neq.e Angelos, neq.e animam a corpore separatam posse loqui, aut gestire; posse tamen scribere, et in hoc sensu sacra litera Dei scriptura sunt, quia ad ejus placitum illarum notae sunt impressae.

Disputatio 2.a De termino

Multipliciter potest sumi terminus. Primo pro fine, ad quem res aliqua dirigitur, ut eterna felicitas, quae recte factorum finis est. Secundo pro objecto alicujus facultatis, ut Deus theologiae. tertio pro extremitate, seu meta alicujus rei, ut Dicitur libro Job: posuisti arenam terminum Mari. Quarto pro voce, cujus significatum ad aliquam facultatem pertinet, in quo sensu voces a rebus logicae sumi termini facultativi illius. Quinto pro partibus ordinatis ad constituendum totum. De his duobus Disputationem nunc instituimus. Quare sit.

Sectio 3ª de termino extrinseco, et facultativo Logicæ

Logica quæcumque illa sit: est facultas pure rationalis, quæ unice discernit ad actus rationis, seu intellectus; et cum dicitur stricte tale intelligitur logica per se, quæ definitur: facultas agens de modo sciendi, quia directe, et per suas regulas ad hunc finem inventas respicit unice tanquam suum objectum modum sciendi. Unde infero solum esse logicam per se actus illos, qui dirigunt de propositione, definitione, divisione, et argumentatione; non vero eos, qui solum habent pro objecto genus, aut differentiam, aut subjectum, copulam, aut prædicatum, aut aliquid aliud, quod non sit integer modus sciendi.

Similes enim actus definiuntur: Logica per accidens, seu facultas agens de illis, quæ ducunt ad modum sciendi; sic theologia per se est facultas agens de Deo; cum vero agit de peccatis de libero arbitrio &. tractatus isti non sunt theologia per se, sed per accidens, ex illis enim infertur, aut Dei providentia, aut ipsius misericordia. Animadverte tandem multos sæpe confundere logicam cum ejus objecto. Tu ergo cum audias terminum logicum intellige terminum, non qui sit Logica, sed qui sit terminus rei ad logicam pertinentis.

Igitur terminus extrinsecus, et facultativus alicujus facultatis per se generatim definitur: vox expresse significativa rei ad facultatem proxime, et per se pertinentis. Vox est genus, reliqua differentia, sed adverte vo. rei proxime, et per se ad facultatem pertinentis, quia terminus iste debet expresse significare id, quod per se ad facultatem pertinet; aliter non esset stricte facultativus. Nota etiam terminum esse extrinsecum facultati, quia facultas consistit in actibus perficientibus intellectum, respectu eorum voces sunt quid extrinsecum.

Hæc termini facultativi definitio fundatur in authoritate Aristotelis 1º posteriorum dicentis loquendo de termino extrinseco, et facultativum logicæ: terminum eum apello in quem resolvitur propositio, ut prædicatum, et id de quo prædicatur ipso esse aut non esse addito, vel diviso. Ex quo facile intelligitur Aristotelem adduxisse hoc exemplum non ut definitionem termini-

extrinseci, et facultativi, sed ita Describitionem, ex qua infeximus termini generatim sumpti Definitionem. hinc terminum de quo loquimur definies sic: Vox expressa significativa rei proxime, et per se pertinentis ad logicam.

Quare omnes voces significantes Definitionem, propositionem argumentationem sunt termini extrinseci, et facultativi logicae per se; significantes vero genus, differentiam, subjectum copulam sunt termini extrinseci, et facultativi logicae per accidens, quos recte definies si mutas lij proxime, et per se in remote et per accidens. reliquae etiam facultates habent suos terminos istis similes.

Confirmatur praecedens Doctrina. Aristoteles in loco adducto loquitur, ut verba indicant de termino logico propositivo; sed solum loquitur de termino extrinseco, et facultativo logicae propositivae: ergo. probatur minor. solum loquitur de vocibus constituentibus propositionem vocalem; sed istae sunt terminus extrinsecus, et facultativus logicae: ergo. Major videtur certa; loquitur enim Aristoteles de termino resolutivo, seu partibus, in quas resolvitur propositio, quam sententiam secutus videtur Divus Damascenus capite 18 Dialecticae dicens: Unaquaeque Dictio terminus est; sed propositio formalis est indivisibilis, ideoque nequit habere partes, voces scilicet illam componentes.

Sectio 2a frequentiores in scholis terminos docet

terminus pure facultativus dicitur ille, quo solum utuntur periti in illa facultate; ille vero, quo omnes utuntur dicitur non pure facultativus. Categorematicus, qui significat sine consortio alterius, ut nomina substantiva: nomina vero, quae indigent consortio alterius, ut omnis, nullus &c. dicuntur terminus sincategorematicus. terminus primae intencionalis significat rem prout est a parte rei. Secundo intencionalis significat, quod habet dependenter ab intellectu, ut genus, species &c. terminus concretus significat totum resultans ex subjecto denominato, ut cognitum, album, ex forma denominante. Abstractus significat solam formam. Delicti abstractam a subjecto, ut est cognitio albedo. Subjectum denominatum dicitur rectum concreti. forma vero denominans dicitur obliquum.

terminus complexus, qui non unam tantum habet dictionem, ut animal rationale: incomplexus ē contra, ut animal. Dividitur in comunem, cujus significatum vere potest afirmari a singulis sub illo termino comuni contentis, ut homo: in particularem, qui plena inadequate significat, ut aliquis homo, et in singularem, qui rem ultimo determinatam significat, ut petrus, et omnia pronomina, ut ego ille &. Colectivus, hujus significatio non est afirmabilis de singulis; sed solum de omnibus simul sumptis, ut Civitas: transcendentalis, cujus significatum omnibus entibus convenit, ut ens, verum, posibile &. Intranscendentalis est, cujus significatum solum convenit aliquibus, ut Leo, homo; Angelus &.

Terminus finitus, seu finitans solum significat id, quod dicit, ut homo; infinitus, seu infinitans fertur ad significandum omnia praeter id, quod dicit, ut homo. sed adverte, ut sit terminus infinitans particula non debet aficere nomen; v.g. non homo currit; si enim aficeret verbum non esset infinitans, sed negans. terminus Connotativus seu Correlativus est ille, qui significat rem dicentem ordinem ad aliud, ut pater, Magister. Absolutus qui non dicit hunc ordinem ut Deus. substantivus significat rem per se adstantem; adjectivus ē contra: ut Candidus exprimit Candorem subjecto adjacentem. implicitus significatum ita confundit, ut rem quasi implicet, v.g. Ens sub quo confunditur petrus ~~Leo~~ Leo &. explicitus ē contra, ut animal rationale.

Terminus indefinitus est, qui nullo termino colectivo, aut copulativo, ut omnis, nullus, sive nullo disjunctivo, ut aliquis. vel nullo singulari ut hic aficitur. Definitus vero terminus ē contra. Denique terminus positivus significat quod vere convenit subjecto, sive per identitatem, sive per unionem. Negativus dicit negationem formae in subjecto capaci illius, ut Caecus. privativus importat negationem formae praescindendo ā capacitate vel incapacitate subjecti, ut non videns, quod convenit lapidi. huc etiam pertinent termini implicantes, ut homo non rationalis. Vos terminos hos perdiscitis habetote memores sententiae Aristotelis: circa terminos, et ab scholas recede.

Sectio 3ª terminorum philosophicorum proprietates explicat

1ª est Supositio, quæ definitur: acceptio termini pro aliquo suo significato ex intencione loquentis. Dixi pro aliquo, quia tantum fit supositio à termino, qui plura, aut saltem duo, significet ex comuni placito. En exemplum: Galus significat Galum Avem, et hominem in Galia natum. Dic ergo: Galli erudicione florent. terminus Galli accipitur à me non pro Gallo avi, quia sic esset propositio repugnans: sed pro homine franco. Adverte hic, esse propositiones à subjecto falso suponente, ut hæc: homo antiquior Adamo est animal rationale. Similiter ista: Adamus est albus. Antichristus est niger. Sic ergo definies falsam supositionem: implicita, et falsa afirmatio de subjecto, de quo aliquid explicite enunciatur.

Animadvertite deinde, quod si terminus suponat tantum pro se, v.g. homo est vox. supositio erit materialis: si suponat tantum pro suo significato erit supositio formalis, ut homo est animal; si suponat pro se, et pro suo significato erit supositio mixta: ut nomen est vox. insuper si terminus significat id, quod ejus significatum habet à parte rei. v.g. homo est rationalis; hic suponit 1º intencionaliter; si vero significat id, quod ejus significatum habet dependenter ab intelectu, ut homo est species. tunc supositio fiet termini 2º intencionaliter. constat ex numero 65.

Supositio erit Colectiva: si terminus suponit pro omnibus simul sumptis. v.g. omnes Orangelitæ sunt quatuor. erit vero distributiva si suponat pro omnibus, et pro quocumque singulari. v.g. omnis Apostolus fuit Christi Discipulus, in quo sensu vera sit utraque propositio consideranti facile constabit, et etiam in quo sensu utraque sit falsa.

2ª termini proprietas est Status, et definitur: acceptio termini pro tempore, quod significat verbum juxta ejus conjugationem. sic, ut sit vera hæc propositio: petrus est albus. hic sumpto ly est pro statum, petrus nunc debet esse albus. 3ª est amplificatio, et est: acceptio termini pro tempore diverso ab eo, quod indicat juxta suam conjugationem v.g. vivens moritur Claudus ambulat, Cecus videt. 4ª est restrictio, quæ est: coartatio ab amplioni ad minus amplum significatum. ut homo justus est amicus Dei, ubi ly justus coartat ly homo alias terminum comunem ad aliquos tantum.

6a est Diminutio, seu Coartatio ad aliquam tantum par tem significandam, ut Ethiops est albus secundum Dentes. 6a est alienatio, qua apud Rethores Metafora dicitur, sic Virgilius de Scipionibus ait: et Geminos duo fulmina belli Scipiadas. 7a est apellatio, seu Conjunctio unius termini cum alio ad facien- dum Sensum; in qua maxime animadvertendum est id, supra quod apellat aliud. patet in hac propositione: Surrexit, non est hic, si ly non apellaret supra surrexit est propositio heretica, negatque Christi resurrexionem, si apellat supra est erit Catolica. 8a tandem est Remotio, qua est suppositio termini pro eo, quod nec proprie nec improprie significat. Ex. homo Leo est impossibilis, in qua terminus homo addi tur termino Leo ad significandum hominem Leonem quem in nullo Sensu significat. nota tamen Suppositionem termi ni dividi, et subdividi posse prout habes Sectione antecedan ti; et advertere, ut Supositio termini sit bona debere esse vitatam, et facilem intelectui.

SECTIO 4ª DE TERMINO LOCO INTRINSECO, ET RESOLUTIVO

Hic terminus sic definiri solet: ens, in quod resolutio totius lo- gica terminatur, ex qua definitione similes pro aliis facultatibus eformare poteris. totum vero generatim sumptum sic exponi tur: ens, cui nihil deest, ut sit illud totum. sic totum phi sicum ut homo, cujus partes, seu termini intrinseci sunt Corpus, anima et unio, in ea linea in qua est totum habet omnia re quisita ut tale sit. Dixi in ea linea, quia quod est totum in una linea potest esse pars, seu terminus in alia. patet in anima, qua est totum in linea spirituali, et simul est pars hominis.

Vides jam totum Duplex esse. ali ud Constans partibus, ut homo, aliud non constans par tibus, ut anima rationalis, atque adeo totum cons tans partibus esse resolubile in illas, et ob contrariam rrationem esse irresolubile totum non constans parti- bus. hac resolutio Duplex est. 1a Destructiva, seu phisica: cum deficiente aliqua saltem parte totius totum Destruitur, ut homo, qui Destruitur deficiente unione, quamquam nec Corpus nec anima Destruatur. 2a est enumerativa, quando intelectus enumerat partes alicujus totius, qua enumeratione non des- truitur totum. Ex hac inteligenda est questio nostra.

Est ergo 1a Conclusio. Terminus logicus est: pars modi sciendi. pars est genus, quo convenit terminus logicus cum terminis, seu partibus cujuscumque totius. Modi sciendi est differentia, qua differt a reliquis. Ita ex scotistis fere omnes, et ex nostris multi. Probatur 1º id est terminus logicus stricte loquendo, quod stricte loquendo est terminus; sed stricte loquendo sola pars est terminus: ergo stricte loquendo sola pars est terminus logicus. Confirmare poteris paritate physica.

Respondent communiter nostri ad terminum logicum stricte talem sufficere esse partem, vel quasi partem; nullum vero ex his duobus determinate requirit; ideoque recte definiri terminum: Conceptus inadequate constituens modum sciendi. Quo modo tam propositiones respectu silogismi, quam subjectum copula, et praedicatum respectu propositionis, cujus sunt quasi partes sunt proprie terminus logicus. En tibi fundamentum pro sententia adversariorum. Quod

Impugnatur et infero: ergo subjectum in propositione est improprie terminus, qui proprie pertinet ad logicam, sicut homo pictus est improprie homo, qui proprie pertinet ad pictoriam: sed ut sit proprie terminus logicus requiritur, quod proprie sit terminus, et quod proprie pertineat ad logicam. Probatur minor, ut propositio sit proprie artefactum logicum, requiritur quod proprie sit artefactum, et quod proprie pertineat ad logicam: ergo pariter, ut aliquid sit proprie terminus logicus requiritur, quod proprie sit terminus, qui proprie pertineat ad logicam.

Probatur 2º conclusio: Terminus logicus est id, sine quo nequit existere totum logicum adequate constitutum in eo esse, seu quo agit logica. Sed sine partibus formalibus, vel quasi partibus potest existere totum logicum adequate constitutum in eo esse, seu quo agit logica: ergo. Major convinci potest paritate totius physici. Minor probatur. Partes formales, vel quasi partes totius logici, v.g. propositionis sunt praedicata metaphysica propositionis; sed sine his potest existere propositio adequate constituta, nam quocumque modo est propositio; ideoque totum logicum, licet non cognoscatur per illas cognitiones, quibus distinguitur formaliter: ergo.

Sit 2a conclusio. sola argumentatio habet terminos logicos. Probatur: solum habet terminos logicos modus sciendi, qui habet partes reales: sed sola argumentatio habet partes reales: ergo. Major constat ex ipsa definitione termini logici. Minor probatur. Modus sci

endi vel est definitio, vel divisio, vel propositio, vel argumentatio; sed tres sunt realiter indivisibiles, ideoque non habent partes reales: ergo sola argumentatio habet partes reales. hinc inferes solum silogismum esse totum logicum resolubile habens partes reales, et solam propositionem esse terminum logicum respectu silogismi, respectu cujus est pars realis.

sectio quinta objectionibus satisfacit

Objicies 1º contra 1am conclusionem. partes formales sunt termini modi sciendi; sed termini modi sciendi sunt termini logici: ergo. mayor probatur. non sunt termini phisici, nec metaphisici, nec alterius facultatis a nobis assignanda: ergo. respondeo nego mayorem, ad cujus probationem dico, nullius facultatis esse proprie terminus stricte loquendo, quia terminus sic sumptus debet esse pars: esse tamen terminos impropprios logicæ per accidens, illius scilicet logicæ, quæ non agit de modo sciendi; sed solum de his, quæ conducunt ad modum sciendi. ad hanc ergo logicam pertinent consequenter illi. vide dicta numero 59. et 60.

Objicies 2º solum est totum logicum id, quod habet unionem logicam; sed sola propositio habet unionem proprie logicam: ergo sola propositio est totum logicum. respondeo nego mayorem. totum logicum non debet habere unionem logicam; sicuti totum phisicum resolubile non debet habere unionem phisicam. igitur propositio est totum logicum non quia habeat unionem logicam, seu copulam; sed quia nihil ipsi deest, ut sit totum adequate constitutum in eo esse de quo agit logica, scilicet in linea propositiva. Deinde copula formalis non est unio, sed unionis similitudo.

Objicies 3º Aristotelem dicentem: terminum voco, in quem resolvitur propositio; sed propositio cum sit realiter indivisibilis solum resolvitur in partes formales: ergo istæ sunt terminus logicus. respondeo Aristotelem loqui de termino extrinseco et facultativo scilicet de vocibus, in quas resolvitur propositio vocalis. si autem loquebatur de propositione formali, erat, quia tenebat juxta antiquorum sententiam propositionem esse realiter divisibilem, quod potius confirmat, quam impugnat nostram sententiam, nam omnino excludit a ratione termini logici partes formales.

Objicies 4º contra 2am conclusionem. negatio termini logici non est terminus logicus, sed est pars hujus silogismi; negatio termini logici est carentia termini logici; sed carentia termini

logici non est terminus logicus: ergo negatio termini logici non est terminus logicus: ergo qualibet pars silogismi non est terminus logicus. Instio argumentum: ergo haec vox carentia logici non est signum? Respondeo distinguo mayorem: negatio exercita termini logici non est terminus logicus concedo; negatio signata nego mayorem, et concessa minori nego consequentiam. itaque negatio signata termini logici est propositio affirmans de negatione termini esse carenciam termini, qua carencia signata cum sit realiter propositio, constituit silogismum sicut negatio locutionis signata est realiter locutio: negatio reno termini est purum non esse attentatius.

Objicies 15.º quod est totum logicum non est terminus logicus; sed propositio est totum logicum: ergo. Respondeo distinguo mayorem; non est terminus respectu illius, respectu cujus est totum, concedo; respectu cujus non est totum, nego mayorem, et distinguo minorem. propositio est totum logicum respectu propositionis, concedo; respectu silogismi nego minorem et consequentiam. patet solutio ex dictis numero 75. Instas non potest aliquid esse proprie terminus, nisi respectu totius proprietatis: ergo non potest aliquid esse proprie totum nisi respectu termini proprietatis; sed per nos propositio est proprie totum logicum: ergo tale est respectu termini logici, ideoque respectu conceptuum inadequate constituentium propositionem.

Ad instanciam concedo antecedens nego consequentiam, disparitas est, quia de ratione termini est esse pars respectu totius; de ratione autem totius non est habere partes, sed solum esse id cui nihil deest, ut sit totum. sic anima rationalis, Angelus, Deus sunt totum phisicum et tamen non habent partes phisicas, sunt enim totum irresolubile. Quare terminus solum est pars totius resolubilis, definitur enim: ens in quod resolutio totius terminatur: non vero est pars respectu totius irresolubilis, qualis est propositio.

Sectio 6.ª impugnatur Thomistarum sententia

Non solent Thomistae agere de termino logico intrinseco, et resolutivo; solum enim agunt de termino logico improprio, qualis terminus est nomen, verbum, et oratio vocalis, quam illi vocant orationem logicalem, atque hujus partes, scilicet voces terminos appellant logicos, eosque definiunt: signum partiale orationis logicalis. impugnabis 1.º Thomistas sic. logica sicut phisica habet proprios terminos, a quibus logicus actuus est; sed isti termini non sunt voces, quia termini intrinseci, et resolutivi ro

tius logici debent esse actus intellectus, ut constat ex dictis sectione an tecedenti. Ergo.

Impugnabis 2.º Vestra definitio termini non convenit huic voci Blictiri; sed hæc vox est terminus: ergo. Concedunt thomistæ majorem, probatur ergo minor. Subjectum orationis logicalis est terminus; sed vox Blictiri est subjectum orationis logicalis: Blictiri non est signum: ergo. Respondent thomistæ terminum logicum debere in oratione supponere formaliter, non vero materialiter, ut supponit vox Blictiri in illa propositione.

Sed contra 1.º Subjectum hujus propositionis: petrus est nomen petri, supponit materialiter; sed est terminus logicus: ergo etiam Blictiri licet supponat materialiter. Contra 2.º alicui convenit vestra termini definitio, quod non est terminus logicus. Probatur absurdum. Per vos nulla propositio est terminus logicus; sed aliqua propositio, sed aliqua propositio est signum per se compositivum orationis logicalis et etiam pars orationis logicalis; nam propositio est pars silogismi qui juxta thomistas est oratio logicalis: ergo. Quid sit suppositio materialis habes numero 70.

Respondent iterum thomistæ propositionem non componere per se, sed solum per accidens silogismum, ideoque non est signum partiale, nec per se constitutivum orationis logicalis: et ratio est, quia propositio segregata à silogismo est vera propositio. Contra contra 1.am definitionem = ergo saltem propositio est pars per accidens silogismi: ergo propositioni convenit tota vestra definitio. Probatur consequentia. Ut aliquid sit terminus logicus respectu alicujus sufficit esse signum parciale illius, quod sit oratio logicalis; sed propositio, est signum, et deinde est pars silogismi qui est oratio logicalis: ergo propositio est terminus logicus respectu silogismi. Contra 2.º contra 2.am. Per vos subjectum vocale v.g. petrus in hac propositione: petrus est homo, est terminus logicus; sed non est signum per se compositivum hujus propositionis: ergo licet propositio non sit signum per se compositivum orationis logicalis erit proprie terminus respectu silogismi.

Nam rogo à thomistis, quid est componere per se, vel esse partem per se? si recte philosophentur thomistæ dicent, componere per se esse ens naturaliter unibile (intellige unione phisica; qualis est inter

corpus, et animam hominis) cum aliis partibus entis compositi: Componere vero per accidens, dicunt, esset componere, et non esse naturaliter unibile cum aliis partibus entis compositi; ut milites qui non uniuntur physice inter se ad componendum exercitum.

Nunc sic sed subjectum copula et praedicatum propositionis vocalis sunt pars, et non uniuntur naturaliter cum aliis partibus propositionis, sed solum eo modo, quo propositiones ut componant silogismum: ergo sicuti partes propositionis sunt termini propositionis, ita partes silogismi erunt termini silogismi. et ratio est, quia nec voces cum vocibus propositionis; nec propositiones cum propositionibus silogismi physice inter se uniuntur. Impugnatur 2.º utraque Thomistarum Definitio. Terminus logicus non debet esse signum: ergo non recte ponitur in utraque Definitione. probatur antecedens. si terminus deberet esse signum omni terminus actu componens orationem logicalem esset signum actu repraesentans. sed hoc est falsum: ergo terminus non debet esse signum. Mayor constat, nam cui convenit essentia in actu secundo debet convenire in actu secundo id, quod dicit genus, ut patet in Definitione hominis, nam cui illa convenit debet convenire genus animal. Probatur ergo minor. vox petrus componit actu hanc orationem logicalem: Petrus est homo, ideoque actu est terminus logicus; sed cum actu est terminus potest non esse signum in actu secundo, quia potest cognosci quin excitet aliam cognitionem, ex qua juxta Thomistas resultat ens rationis, quod constituit signum in actu secundo: ergo vox petrus in actu secundo est terminus logicus et potest non esse signum in actu secundo. tene diligenter hoc argumentum.

Disputatio tertia de modo sciendi in communi

Quæstio, quam aggredimur non est de quocumque modo sciendi, ut scientifico, qui idem est ac sciencia; nec cognoscitivo si sumatur pro cognitione, qua intellectus cognoscit objectum, nec Rexidico, qui idem est, ac propositio, seu siloquimus Rexus: aut judicativo, qui juxta recentiores aliquos idem est modus sciendi, ac modus dicendi, seu enunciandi. Est igitur quæstio de modo sciendi manifestativo, et qui dicitur Objectum logicæ per se, qua ut potestas facultas rationalis docet intellectum proponere definire, dividere, et argumentare, eumque adjuvat ad alias scientias acquirendas: de hoc ergo inquirit.

Sectio prima quid sit modus sciendi

Communiter contra thomistas definiri solet modus sciendi: Cognitio manifestativa ignoti artificiose, aliqui addunt aliqui per notius: juxta quidem, nam ignotum manifestari non posse nisi per notius luce meridiana clarius est, ut ex ipsius terminis consideranti patebit. u tag. ergo Definitio impugnatur sic. Solum est modus sciendi id, quod est objectum logicæ per se; sed aliqua est cognitio manifestativa ignoti, qua non est objectum logicæ per se: ergo aliqua est cognitio manifestativa ignoti, qua non est modus sciendi. minor probatur. quæcumque apprehensio complexa, quæ non sit definitio, ut hæc: petrus animal est cognitio manifestativa ignoti; sed non est Objectum logicæ per se: ergo.

Major evidens est; quis enim negabit per hanc et similes apprehensiones manifestari clarius objectum, quam per apprehensiones simplicissimas. ut petrus, per quas minus clare aparet? minor constat etiam, quia Objectum logicæ per se est Divisio, Definitio, propositio, et argumentatio, de quibus solum agit logica per se, et in quas dividitur adæquate modus sciendi: ergo hæ Definitiones conveniunt aliis cognitionibus, quæ non sunt modi sciendi, ideoque rejiciendæ sunt.

Nos vero cum sic definiemus: Cognitio manifestativa ignoti artificiose. ly artificiose est diferencia, qua modus sciendi difert ab omnibus cognitionibus, quæ non habent artificium præscriptum à regulis logicæ; reliqua sunt genus, quo cum illis convenit. dicitur manifestativa, et non manifestans, quia sufficit posse manifestare ignotum. Similiter ignotum contra-ponitur ad cognitum. hinc cognitio manifestativa ignoti idem est, ac manifestativa objecti, quod potuit non ita cognosci, et quidem respectu illius intelectus, respectu cujus cognitio est modus sciendi. Vides jam respectu Dei nullam cognitionem esse modum sciendi, cum nihil illi posit esse ignotum.

Probatur jam nostræ definitionis rectitudo, prædicata, quæ implicite continentur sub conceptu definiti, nempe modi sciendi, sunt ejus recta definitio; sed hæc prædicata sunt illa, quæ intendit logica per suas regulas, quæ solum per se dirigunt ad objectum manifestans ignotum artificiose: ergo hæc est recta definitio modi sciendi. Major est regula de rectitudine definitionis. Minor quoad 2am partem negari non poterit: probatur quoad 1am. logica est facultas agens de modo sciendi, ideoque de ejus prædicatis formaliter talibus, sed non poterit agere de modo sciendi, ejusque prædicatis formaliter talibus, quin prædicata formalia sint illa quæ intendit logica per suas regulas: ergo. Subsumo; sed logica non dirigit ad quamcumque cognitionem, sed solum ad illam, quæ manifestat objectum cum aliquo artificio: ergo.

Probatur ultima minor. Logica (intelige per se) solum agit de propositione, definitione, divisione, et argumentatione; sed solum hæ cognitiones manifestant ignotum artificiose: ergo logica solum agit de cognitione manifestativa etc. Inferes hinc, solum propositionem, definitionem, divisionem, et argumentationem esse modum sciendi, quia illis solum convenit esse cognitionem manifestativam ignoti artificio se scilicet cum artificio præscripto à regulis logicæ.

Sectio 2a aliquibus argumentis resp[o]det

Objicies 1o. Cognitio cognitio Divina est artificiosa, et manifestat beatis plura objecta ipsis ignota: ergo respectu beatorum est modus sciendi. Respondeo distinguo antecedens quoad 2am partem. manifestat formaliter, et tamquam cognitio

respectu beatorum plura objecta ignota, nego antecedens; in tencionaliter objective, seu tamquam speculum, concedo antecedens. tali cognitio est objectum, et non cognitio respectu beatorum, ideoq. respectu illorum non est modus sciendi. instas: ergo modus sciendi debet definiri cognitio formaliter manifestativa. Nego consequentiam, quia quod dicitur in definitione intelligitur juxta regulas logica debere convenire formaliter definito; ut inferius dicemus.

Objicies 2º nostra definitio committit circulum vicio sum: ergo non est bona. Mayor probatur. Nos definimus modum sciendi in ordine ad logicam, et logicam in ordine ad modum sciendi; atqui iste est circulus vicio sus: ergo. Respondeo nego antecedens, et minorem probationis, nam circulus vicioss non est, sed necessarius cum definiuntur ea qua habent inter se mutuam relationem, ut signum, et significatum; causa, et efectus. hanc relationem habent facultas qualibet cum suo objecto, et objectum cum illa.

Objicies 3º haec propositio: definitio debet constare genere, et diferencia, non est modus sciendi: ergo non omnis propositio est modus sciendi. probatur antecedens: hac propositio est logica; sed logica non est suum objectum, nempe modus sciendi: ergo. Respondeo distingo antecedens non est modus sciendi sub conceptu logicae definitiva transeat, sub conceptu cognitionis manifestativa ignoti artificio se, nego antecedens, et consequentiam. similiter distingo majorem. Qualibet igitur propositio est modus sciendi prout est cognitio manifestativa &. si insuper sit regula cujuscumq. logica, ut illa propositio est regula logica definitiva, hoc non pertinet ad quaestionem.

Objicies 4.

et simul instabis, modus distinguitur a re cujus est modus: ergo modus definiendi distinguitur a definitione. Insto etiam argumentum posito eodem antecedenti: ergo etiam modus uniendi ab unione; modus agendi ab actione? respondeo nego antecedens; actio enim est modus, quo ipsa procedit a causa; unio est modus, quo ipsa se unit cum extremis; cognitio reflexa est modus quo ipsa cognoscitur, quin inter haec omnia alia distinctio intercedat quam formalis. sic etiam modus sciendi solum formaliter debet distingui a sciencia modus definiendi a definitione &. . . .

Objicies 5º manifestare idem est ac discurrere, seu afirmare: ergo Definitio, quæ sit aprehensio, ut hæc: animal rationale non est modus sciendi, quia nec Discurit nec afirmat. Respondeo nego antecedens; modus enim sciendi non sumitur hic pro modo Discurendi seu judicandi; sic namque propositio non esset species modi sciendi, sed esset genus, conveniret enim formaliter, et definitive cum omnibus speciebus modi sciendi. sumitur ergo pro cognitione artificiosa, qualis est illa definitio, et similes; non pro cognitione scientifica, de qua nunc non est Questio.

Ut alia solvas nota 1º propositiones, Divisiones &. puerorum, seu factas sine arte non esse modus sciendi in actu 2º. quia actu non dirigunt ur ab artificio à logica præscripto, nec fiunt cum noticia illius bene vero esse modum sciendi, et Objectum logicæ in actu 1º. quia à regulis logicæ dirigi possunt, et fieri artificiose. Nota 2º in hac questione modum sciendi non esse modum scienciæ, sed modum manifestandi cum artificio, in quo sensu hac propositio identica: petrus est petrus, est modus sciendi; intellectus enim per illam cognoscit artificiose identitatem petri secum ipso; artificiose inquam, quia fit artificio à logica præscripto.

sectio 3ª impugnantur thomistæ, et audiuntur

thomistæ comuniter sic modum sciendi definiunt: oratio alicujus ignoti artificiose manifestativa, et excludunt à modo sciendi propositionem omnem, quæ non sit definitio, aut Divisio; tuncque apud illos erit modus sciendi non ratione propositionis, sed definitionis, aut Divisionis, quam continet. id ascerunt, quia modus sciendi debet conducere ad scienciam, ad quam non deservit artificium propositionis, quia illud reperitur etiam in propositione falsa.

Impugnantur

Ergo primo. aliqua propositio ratione sui conducit ad scienciam: ergo aliqua propositio ratione sui est modus sciendi. probatur antecedens: artificium logicum ratione sui esse cludens erronem: propositio, quæ non est definitio, nec Divisio si conducit ad scienciam ratione sui conducit ad scienciam; sed aliqua est propositio, quæ non est definitio aut Divisio et conducit ad scienciam: ergo. probatur minor. hæc propositio: petrus est animal, nec est definitio, nec Divisio, sed conducit ad scienciam: ergo.

Major negari non potest. minor probatur. propositio quae conducat ad conclusionem veram, certam, et evidentem, conducit ad scienciam: sed haec propositio conducit ad hanc conclusionem veram certam, et evidentem: omnis homo est animal; sed omne animal est vivens: ergo omnis homo est vivens: ergo haec propositio conducat ad scienciam.

Impugnatur 2°.

Ergo saltem propositio necessaria vera, v.g. Deus existit, ratione sui erit modus sciendi. probatur sequela: artificium logicum ratione sui excludens errorem, ratione sui conducit ad scienciam; sed talis est dicta propositio, ut patet: ergo. probatur major. artificium logicum ratione sui excludens errorem, facilem, et securam viam sternit veritati, et scienciae: ergo ratione sui conducit ad sciencia. urgetur id ipsum paritate: per vos ideo omnis propositio non est modus sciendi, quia aliqua propositio nempe falsa non excludit errorem: ergo propositio necesaria vera, ut pote excludens errorem est modus sciendi; sed multae ex illis nec sunt divisio, nec definitio: ergo aliqua est propositio, quae ratione sui est modus sciendi.

Impugnatur

3°. propositio falsa est modus sciendi: ergo omnis propositio est modus sciendi. probatur antecedens. si propositio falsa non esset modus sciendi, foret, quia propositio falsa est error contra logicam; sed hoc est falsum: ergo propositio falsa est modus sciendi. Minor probatur. haec oratio falsa: Deus est injustus, non est error contra grammaticam. item pugna injuste comissa non ideo est contra scienciam militarem: ergo pariter propositio licet sit falsa non ideo est contra regulas logicae; logica enim solum praescribit artificium, quo debet constare propositio; a veritate autem et falsitate omnino prescindit. audiamus nunc contra nos Thomistas.

Oponunt 1°. propositio falsa est modus errandi; sed modus errandi non est modus sciendi: ergo propositio falsa non est modus sciendi. Respondeo transmissa majori distinguo minorem; modus errandi non est modus sciendi veridicus, aut scienti-

ficus, de quo nunc non est quæstio, concedo mi-
norem; non est modus sciendi manifestativus ne-
go minorem, et consequentiam. Instant 1°. ergo
propositio falsa non manifestat intelectui objec-
tum. Probatur consequentia. Quod confundit inte-
lectum non manifestat intelectui objectum; sed
propositio falsa confundit intelectum: ergo propo-
sitio falsa non manifestat intelectui objectum. 2°.
ergo logica docet propositionem falsam. Probatur
consequentia. Logica docet omnem modum sciendi.
sed per vos propositio falsa est modus sciendi: er-
go logica docet propositionem falsam. Id oponi-
tur Divo Thomæ primo posteriorum lectione pri-
ma dicenti: logica est, ut homo in ipso actu ra-
tionis sine errore procedat.

Ad primam instan-
ciam respondeo nego consequentiam, et distinguo ma-
yorem probationis: quod confundit intelectum non
manifestat intelectui objectum noticia vera, con-
cedo mayorem; noticia sive vera, sive falsa, ne-
go mayorem, et distinguo minorem. Propositio
falsa confundit intelectum, hoc est decipit intelec-
tum, concedo minorem; hoc est nihil ipsi ma-
nifestat noticia magis clara, quam illa, qua
potuit objectum cognosci, nego minorem, et conse-
quentiam. Ad secundam instanciam, distinguo
consequens: logica docet propositionem falsam do-
cendo disformitatem propositionis cum suo objecto,
nego consequentiam; docendo solum artificium
propositionis falsæ concedo consequentiam. Logi-
ca non curat de veritate, aut falsitate propo-
sitionis; solum vero curat de illius artifi-
cio.

En exemplum quo illustratur solutio. Ars
militaris docet omne genus pugnarum, non vero
docet pugnam debere fieri juste, vel injuste,
hoc enim pertinet ad juris prudenciam. Docet
quomodo ordinanda sunt pedestres copiæ, quo
loco constituendæ turmæ equestres. Finis hujus
artis est incolume regnum ab inimicis juste ser-
vare: et similis huic est finis, quo logica addis-
citur, nempe propulsare omnem errorem, a ratio nis

actibus, et in hoc sensu intelligendus est Divus Thomas.

Oponunt 2º. tot sunt modi manifestandi ignotum, quot sunt in objecto prædicata ignota manifestabilia; sed hæc sunt tantum tria, nempe essentia, quæ manifestatur per Definitionem; partes, quæ manifestantur per Divisionem, et proprietates, quæ manifestantur per illationem, seu Silogismum: ergo nullum est prædicatum, quod possit manifestari per propositionem, ideoque hæc non est modus sciendi. respondeo nego majorem: plures sunt modi sciendi, quam prædicata ignota. idem enim prædicatum potest multis modis sciendi manifestari.

Oponunt 3º. Ars domifactoria nullo modo docet ædificia irrecta, et falsa: ergo neque logica propositionem falsam. Instant paritate, logica nullo modo docet Divisionem, aut Definitionem falsam: ergo neque propositionem falsam. ad argumentum nego antecedens casu, quo illa ædificia habeant aliquod artificium artis domifactoriæ sicut artificium logicæ habet propositio falsa. Ad instantiam nego antecedens, quia, ut infra dicemus, definitio falsa est vera definitio, licet non sit definitio vera, et similiter de propositione dicendum.

Oponunt 4º.
ergo saltem hæc propositio non est modus sciendi: omnis propositio non est modus sciendi manifestativus ignotum. probatur consequentia. si hæc propositio manifestaret ignotum manifestum esset, omnem propositionem non manifestare ignotum, adeoque non esse modum sciendi: ergo. respondeo nego consequentiam, et distinguo antecedens probationis; manifestum esset sumpto manifestum pro vero accepto nego: sumpto pro manifestare objectum, quod potuit non ita claro cognosci concedo antecedens, et nego consequentiam. ex hoc nullum absurdum sequitur, sicuti nec ex eo, quod objectum hujus propositionis falsæ sit verum sumpto verum pro vero transcendentale, hoc est cognoscibile ab intellectu, quod nemo negabit.

Disputatio quarta de modo sciendi in particulari

Disputationis hujus utilitas, imo et necessitas me quodam modo cogit, ut diligentiam vestram hác in tractatione majorem requiram. Amabo igitur existimatis dilectissimi Discipuli, omnes animi, et ingenii nervos ad intelligentiam hujus Disputationis, et sequentis esse contendendos.

Sectio prima de propositione

Propositio, quæ idem est ac enunciatio, seu judicium definitur: modus sciendi dicens aliquid de aliquo. Illius proprietates quatuor sunt, scilicet materia, forma, quantitas et qualitas. Materia duplex est, nempe ex qua, quæ in propositione est subjectum, et prædicatum, ut formalitas petrus et formalitas homo in hac propositione: petrus est homo. Petrus vero, et omnia prædicata, quæ cognoscuntur per illam propositionem sunt materia circa quam. Hujus materiæ ratione propositio dicitur necessaria si prædicatum conveniat necessario subjecto: ut Deus est bonus. Si prædicatum nullo modo poterit convenire subjecto, dicitur propositio de materia impossibili. Si autem contingenter adveniat, dicitur contingens, ut petrus est albus.

Forma propositionis est copula, ratione cujus propositio erit affirmativa si prædicatum tribuat subjecto; negativa vero si illi prædicatum neget. Simplex si unam tantum habeat copulam. Complexa si duas habeat ex. g. Deus est trinus et est unus, quæ simul est conjunctiva, quia importat conjunctionem et; erit vero disjunctiva, quando disjunctive habet duas copulas ex. g. petrus vel dormit, vel studet. Dicitur categorica, quando rem sine condicione affirmat aut negat; si cum condicione affirmat, aut negat erit condicionata, seu ipotetica. ex. g. si petrus studet erit doctus.

Dividitur etiam in formalem, quæ accipit prædicatum, quod est de constitutivo definitionis subjecti. ut homo est animal. In materialem, quæ accipit prædicatum, quod

non est de constitutivo definitionis subjecti: ut homo est visibilis, in identicam, quæ prædicatum asserit de se ipso sub simili forma litate: ut homo est homo. hæc propositio, et similes: petrus currit dicuntur secundi adjacentis, et reddit sensum: petrus est currens.

Tandem dividitur in exponibilem, hoc est explicabilem per aliquam propositionem v.g. solus Aristoteles fuit Alexandri Magni præceptor; et erit exponens: Aristoteles; et nullus alius præter ipsum docuit Alexandrum: propositio, quæ habet hos terminos solum tantum vocatur exceptiva. si habeat istos ob quia propter vocabitur causalis; tandemq. si istos prout, in quantum, ut talis dicitur reduplicativa.

Qualitas propositionis est veritas, vel falsitas illius: erit autem propositio vera si conformatur cum suo objecto; et falsa si non conformatur; ut enim veritas definitur: conformitas actus cum objecto; sic falsitas est: disformitas actus cum objecto. utraque est multiplex. 1.a consistens intrinseca consistens in ipsa formali propositione, et vocatur veritas formalis. 2.a extrinseca propositioni, et dicitur veritas objectiva consistens in eo, quod objectum sit sicuti actus dicit. addunt aliqui veritatem extrinsecam non objectivam, et dicunt, esse quodcumque ens, quod inferat propositionem esse veram.

Qualitatis ratione subdividitur in temerariam, quæ rem asserit sine gravi fundamento, v.g. Salomon est in Cælis; in probabilem, quæ asserit cum gravi fundamento, licet ejus contradictoria habeat etiam fundamentum grave, v.g. phisica præmotio tollit libertatem. in certam, quæ nititur fundamento infalibili, sive moraliter, ut Cicero orator fuit. sive phisice, ut ego vos video dilectissimi discipuli, sive metaphisice, ut Deus est ubiq. in evidentem, quæ excludit omne dubium de opposito, ut Deus existit.

Quantitas propositionis est major vel minor extensio subjecti formalis ad significanda plura vel pauciora objecta. ratione quantitatis quadruplex est propositio. 1.o universalis, cujus subjectum habet terminum universalem ut omnis nullus. 2.o particularis, cujus subjectum habet terminum particularem ut aliquis quidam. 3.o singularis singularis, quæ constat subjecto determinato, vel afecto nota singularitatis: ut Carolus 3.us est rex Hispanis.

1° indefinita, cujus subjectum est terminus comunis, sed nullo sig no ex dictis aficitur, ut homo est visibilis.

Indefinita propositio si sit afirmativa in materia necessaria, vel negativa in materia imposibili equivalet universali, v.g. hæc: homo est animal equivalet huic: omnis homo est animal; et hæc: homo non est lapis equivalet huic: nullus homo est lapis. Excipe tamen indirectam, quæ licet sit in materia necessaria equivalet tantum particulari, v.g. animal est homo, quæ equivalet huic aliquod animal est homo. Vides hic primo, quantitatem non sumi à prædicato, sed à subjecto tantum; et ideo hæc propositio est universalis: omnis persona Divina est unus Deus. ista vero est singularis: unus Deus est omnis persona Divina. Vides 2° neque desumi quantitatem à nota aficiente obliquum, sed rectum, et ideo non est universalis hæc propositio: causa omnium causarum creavit mundum.

Rogas in fine quid nobis sentiendum sit de sententia illustrissimi Caramueli negantis in suo Hercule logico esse propositionem aliquam negativam? Respondeo, pari illum ratione negare potuisse esse aliquam afirmativam, cum nulla ex illis sit, quæ per sensum negativum exprimi non posit. Quare illi occurenda sunt verba illa Christi Domini Mathei 5°: Sit sermo vester est, est; non, non; ubi aperte docemur usum propositionis negantis, tanquam ab hac afirmante diversæ.

Sectio secunda de divisione.

Divisio definiri solet: modus sciendi formaliter distribuens totum in suas partes. Non placet omnino hæc definitio: sic namque definitum sub conceptu, sub quo definitum est ingreditur definitionem, idem siquidem est dividere, ac distribuere. Rectius certe definies sic: modus sciendi formaliter explicans totum in suas partes. totum dicitur res, quæ dividitur; partes vero, in quas dividitur apellantur membra dividentia, sive divisiones.

Duplex ergo est divisio. Actualis, quæ dividit totum in partes quas actu habet, ut hominem in corpus, animam, et unionem. Potencialis, quæ dividit totum in partes, quas licet non habeat potest tamen habere disjunctive: ut divisio generica animalis in hominem, et brutum; et divisio specifica hominis in sua individua nempe Petrum Joannem &. Divisio actualis subdividitur in phisicam, quæ dividit

totum in partes realiter distinctas; ut est, quo subjectum [illegible] hu
jus numeri: et in Metaphisicam, quo dividit in partes formales, et
solum per rationem distinctas.

Rursus Divisio phisica alia est essen
tialis, hoc est, quarum aliquá deficiente impossibile sit totum existe
re, ut Divisio phisica, quam de homine dedimus. alia integralis
quæ totum dividit in partes integrales, ut hominem in manus,
pedes &. Alia denique accidentalis, et fit primo distribuendo
subjectum in accidentia: ut homo alius est albus, alius niger. se
cundo distribuendo accidens in subjecta: ut albedo alia est in
latte, alia in nive. tertio accidentale concretum in alia
accidentalia distribuendo, ut album aliud est dulce, aliud
amarum.

Audias nunc precor divisionis regulas, quarum tres
primæ spectant ad divisionem actualem, et potencialem; reliquæ
tres solum de potenciali inteligenda sunt. 1ª est: omnia mem
bra dividentia simul sumpta debent adequare totum divisum.
sic corpus anima, et unio sunt adequate, et phisice homo: et
animal rationale sunt adequate metaphisice homo. 2ª est:
nullum membrum dividens seorsim sumptum debet adequare
totum divisum. sic nec corpus est tota essencia phisica nec
animal tota essencia metaphisica hominis. 3ª: membra
dividentia debent se mutuo excludere, hoc est nullum de
bet esse pars alterius; corpus enim nec est anima, nec unio,
nec animal est formaliter rationale.

4ª regula est: mem
bra dividentia totum potenciale debent inadequate formaliter
identificari (intelige secundum rationem genericam), et inade
quate formaliter distingui (hoc est secundum conferencias contra
tractivas) a toto potenciali: si animal divides non in rationa
le, et irrationale, sed in hominem, et brutum; etenim tam homo
quam brutum, identificantur formaliter inadequate cum ani
mali, nam utrumque est formaliter inadequate animal: et utrum
que distinguitur formaliter inadequate per rationale, aut irra
tionale ab animali.

5ª regula est: quodcumque membrum
divisionis potencialis debet adequate participare totam rationis
intensivam, non autem extensivam divisi. En exemplum:
homo, et brutum debent adequate participare rationem inten
sivam animalis, hoc est omne quod dicit formaliter animal,
scilicet principium sensationis, non vero omne id, quod animal
dicat extensive, hoc est posse identificari cum homine et bruto.

6ª Regula est; ut Divisio sit immediata, hoc est in suas species proximas, et adequatas, seu complectens omnia et singula membra dividentia totum.

Ex his deducito has regulas, seu Leges. Prima est: Cui convenit Divisum convenient disjunctive membra Dividentia. Ex. est animal: ergo vel est homo, vel est brutum. Secunda è contra: Cui non convenit Divisum nullum membrum Divisionis convenit: sic recte arguitur: non est animal: ergo neque est homo, neque est brutum. Tertia. Cui convenit aliquod membrum Dividens convenit Divisum. Ex. convenit Petro esse hominem: ergo Petro convenit esse animal; non vero è contra. Sic non convenit Petro esse hominem: ergo non convenit esse animal. Videtis harum Regularum utilitatem, ideo illas nocturna versate manu versate diurna.

Sectio tertia de definitione.

Definitio est: Modus sciendi explicans essentiam rei; et Duplex est, alia formalis, quæ explicat rem per ejus prædicata metaphisica; alia objectiva, quæ est idem objectum definitum, de qua definitione non est quæstio. Sic etiam Definitum Duplex, formale quod est Cognitio illa, quæ repræsentat objectum definiendum, ut Cognitio homo; et definitum objectivum est ipsum objectum definiendum, ut homo, qui est à parte rei. Nomine definiti non intelligitur definitum formale, sed definitum objectivum.

Sed Quæres jam primo. quid sit formaliter explicare essentiam rei? Respondeo esse proponere rem clarius, quam ante apparebat per definitum formale. Exemplum. Definire vis Petrum, quem cognoscis per cognitionem homo; sic definies animal rationale. Si rogaveris quid sit animal rationale? Iterum definies: principium sentiendi, et principium Discurrendi. hinc vides, clarius proponi essentiam Petri per cognitionem animal rationale, quam per cognitionem homo, et clarius per principium sentiendi, et Discurrendi, quam per animal rationale.

Quæres 2º quid sit formaliter Dicere aliquod prædicatum? Respondeo est dicere prædicatum per expressionem correspondentem voci, qua nos tale prædicatum nominamus. Clarius hoc exemplo. Cognoscis Petrum per cognitionem animal, tunc Dicis formaliter prædicatum animal; cetera autem, quæ vere conve

nium petro, et non exprimuntur, ut risibilis rationali, dicis materialiter. Sic idem petrus per Conceptum homo est formaliter implicite animal rationale; sed per Conceptum animal rationale est formaliter explicite homo; quia hac cognitio animal rationale clarior est cognitione homo. tandem petrus per utramque cognitionem est materialiter risibilis.

Quaeres 3.º quid sit esse formaliter signate, vel formaliter exercite? respondeo esse: esse formaliter signate omnia illa praedicata, quae illi tribuit expressio; exercite autem esse ea praedicata, quae non exprimuntur sed sunt, et exercentur. En exemplum: Cognoscis petrum per cognitionem animal rationale. petrus tunc est formaliter signate animal rationale; exercite vero est cognitus, definitus &. hac meditere diligenter.

Quaeres 4.º quotuplex sit definitio? respondeo duplex. phisica, et metaphisica. phisica est: modus sciendi explicans formaliter praedicata phisica rei, hoc est partes reales: sic hominem definies phisice: conjunctum ex corpore anima rationali et unione. metaphisica exprimit solum praedicata metaphisica, quae solum formaliter inter se distinguuntur. Sic hominem metaphisice definies per totics dictam definitionem: animal rationale.

Quaeres 5.º an omnia possint definiri? respondeo afirmative de definitione metaphisica quia nullum est ens, quod non habeat haec praedicata metaphisica, possibile, cognoscibile, distinctum &. sed quodlibet ex his praedicatis est essentia metaphisica cujusvis entis implicite cogniti, et ins per haec praedicata possunt explicari per clariora: ergo. Negative autem respondeo de definitione phisica, quia entia indivisibilia, ut Deus, Angelus & non habent praedicata, seu partes phisicas realiter inter se distinctas.

Quaeres 6.º quid sit descriptio? respondeo, est declaratio entis, quae non conformatur cum regulis definitionis. audi Ovidium per corporis figuram describentem denominatione, more suo hominis cognitionem.

Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit, coelumque tueri
Jussit; et erectos ad sidera tollere vultus.

Quaeres 7.º Quot sunt definitionis regulae? respondeo prima est.

Definitio debet esse clarior definito formali. secunda. definitio objectiva debet mutuo convertui cum suo definito. Unum converti cum alio est valere consequentia ab illo ad aliud; non converti, et non valere. 3a. definitio debet constare genere, et differencia, si definitum habet cum quibus conveniat, et à quibus differat. 4a. definitum non ingrediatur tanquam genus, aut differentia definitionem. 5a. genus debet esse immediatum; ideo non recte definies hominem sic: homo est substancia rationalis. 6a. definitio nihil debet habere diminutum, aut superfluum. 7a. definitio debet convenire omni, et soli definito.

Quæres 8o. an definitio debeat consistere in apprehensione, ut volunt Oviedo, et Alfonso; an in propositione ut dicunt Quirinos, Hurtadus, et omnium novissimus Pater Julianus Garcia de Vera. Respondeo in sola apprehensione posse consistere. probatur 1o. autoritate Aristotelis 2o. posteriorum capite 3o: in definitione nil de aliquo prædicatur. item libro 1o. perihermenias capite 5o: etenim hominis definitio nisi est aut erat, aut hujusmodi quidquam addatur non dum est oratio enunciativa. et clarissime ex Divo Thoma opusculo 48o. de silogismo, capite 6o. dicente: quædam sunt, quæ non admittunt esse vel non esse, et talis est definitio: non enim dicitur definitio ista: homo est animal rationale; sed definitio solum est hæc: animal rationale, sine eo, quod addatur esse vel non esse: sed animal rationale est apprehensio: ergo definitio pertinet ad apprehensionem.

Probatur 2o. ratione. definitio non pertinet ad judicium quod est secunda mentis operatio; ergo pertinet ad apprehensionem, quæ est prima. probatur antecedens. si definitio pertineret ad judicium, definitum ingrederetur definitionem contra regulas illius: ergo non pertinet ad judicium, sed ad apprehensionem. hoc ultimum antecedens patet, quia homo est definitum, et ingrederetur suam definitionem nempe: homo est animal rationale.

Probatur 3o. si definitio posset consistere in judicio esset bona hæc definitio hominis: homo est substancia intelectiva, quæ in omnium sentencia est mala, quia convenit aliis à definito, scilicet Angelo, equo affirmari potest: ergo. probatur antecedens. si definitio in judicio consistit tradita definitio nequit Angelo convenire: ergo. probatur hoc antecedens. nequit Angelo convenire hæc prædicatio:

Angelus est homo substancia intelectiva: ergo nec dicamus, ha
nc esse bonam definitionem. Dicendum est, definitionem non con
sistere in judicio, sed in apprehensione. Nota Aristotelem sepe
dixisse, in definitione nihil afirmari vel negari, ideoq. illam
non dicit veram, vel falsam, sed bonam, aut malam.

Objicies

1.º contra nostram definitionem. Si definitio definiret se ipsam:
simul esset definitio, et definitum; sed definitio debet esse clarior
definito: ergo esset clarior se ipsa. Respondeo distinguo mayo-
rem, esset definitio, et definitum sub eodem conceptu nego ma
yorem; sub diverso concedo mayorem, minorem, et nego
consequentiam. Itaq.e esset definitum sub hoc conceptu defi
nitio; esset definitio sub hoc alio: modus dicendi explicãs
esenciam rei: sub hoc conceptu clarior esset quam sub
illo, in quo nihil absurdi est.

Objicies 2.º contra ultimam
resolutionem ex Patre Gancia definire est judicium ferre de
objecto; sed implicat ferre judicium per actum, qui non judi
cat: ergo implicat definiri per actum, qui non est propositio.
tam bene dispositum judicat auctor silogismum, tamque
veras ejus omnes propositiones, ut inutile existimet in earum
probatione immorari. Nego igitur mayorem; unde enim
definitio definienda est per judicium ferre de objecto? satis ex
ponitur ejus natura, si per hãs explicans esenciam rei de
-finiatur; quo quo pacto apprehensioni conveniat ulterius
dicetur.

Objicies 3.º et simul instas: ergo definitio debet sal
tem explicare esenciam rei; sed hoc non potest convenire
apprehensioni: ergo. Probatur minor. Si conveniret appre
hensioni explicare esenciam rei, per hanc apprehensionem:
animal rationale perciperet intelectus hanc esse hominis
esenciam; sed per illam hoc non percipit intelectus: ergo
apprehensioni non convenit explicare esenciam rei. Respon
deo concesso primo consequenti nego minorem, ad cujus
probationem distinguo mayorem: per hanc apprehensio
nem: animal rationale perciperet intelectus hanc esse
hominis esenciam modo apprehensivo, concedo mayorem;
modo judicativo, nego mayori, et distincta ẽ contra mi
nori nego consequentiam.

Itaq.e dupliciter potest intelectus
percipere esenciam hominis, vel faciendo hoc judicium: ho
mo est animal rationale, et sic clare cognoscitur esencia homi

nis; vel penetrando expresse, et distincte animal rationale, in quo consistit essentia hominis, quae penetratio fit per apprehensionem, et per eam clare etiam percipitur essentia hominis, cum enim hoc nec formaliter distinguatur ab animali rationali implicat clare unum percipi, quin aliud clare etiam percipiatur. hoc ergo modo licet definitio in apprehensione consistat rei essentiam explicat.

Pro solvendis alijs nota: qui eliceret hunc actum: homo non est animal rationale, vere conciperet definitionem hominis, non tamen illud definiret, quia definitionem conceptam de illo negaret; unde resultat actum illum esse falsum. Nota insuper formaliter explicare non esse formaliter dicere, sed solum esse formaliter exprimere clarius praedicata implicite contenta sub conceptu definiti, quod recte facit apprehensio.

Sectio quarta de argumentatione.

Argumentatio definitur: modus sciendi formaliter inferens aliquid ex aliquo. inferre est: ex una cognitione excitare aliam habentem pro motivo objectum primae cognitionis. Cognitio excitans dicitur antecedens, et ejus objectum dicitur argumentum. Cognitio excitata dicitur consequens, et ejus objectum dicitur argumentatum. En exemplum. Conclusio hujus silogismi: Omnis homo est animal; sed petrus est homo: ergo petrus est animal, facit hunc sensum: petrus est animal, quia omnis homo est animal, et petrus est homo, et sic habet pro motivo objectum praemissarum, scilicet omnem hominem esse animal, et petrum esse hominem.

Quotuplex sit argumentatio habes jam prolusione 3.a nunc scias, illam dividi in materialem, cujus antecedens non dicit formaliter adhuc implicite, totum id, quod dicit formaliter consequens, v.g: petrus est homo: ergo petrus est risibilis, et in formalem, cujus antecedens dicit formaliter saltem implicite totum id, quod dicit formaliter consequens; v.g. omnis homo est animal: sed petrus est homo: ergo petrus est animal. Vides discrimen inter utramque consequentiam: haec nil dicit, quod non sit dictum in antecedenti; illa vero aliquid, quod non est formaliter dictum in antecedenti nempe risibiles.

Dicitur etiam directa, quae directe hoc est

Connaturaliter excitatur ab antecedenti; et indirecta, quae non connaturaliter excitatur. Sit exemplum hoc antecedens: omnis homo est animal; sed aliquod rationale est homo: excitatur directe hoc consequens: ergo aliquod rationale est animal; indirecte vero hoc aliud: ergo aliquod animal est rationale. Dicitur insuper perfecta, quando intellectus vi antecedentis quasi constringitur ad asensum conclusionis: si vero non ita impellitur intellectus vi antecedentis, dicitur imperfecta. Tandem dividitur in Aristotelicam, et non Aristotelicam. Prima si est afirmativa fundatur in ho principio: quae sunt idem cum uno tertio sunt idem inter se: si vero est negativa in hoc alio: ea quorum unum est idem, et alterum non est idem cum uno tertio non sunt idem inter se.

Non Aristotelica est, quae non fundatur in aliquo ex his principiis, hoc est quasi fundamentis recta argumentationis, ut sunt plures silogismi, qui nihil hominus facile reduci possunt ad principia Aristotelica, atque inde mirari vobis fas erit tamquam e vestibulo Aristotelicae argumentationis artificium seculorum omnium admiratione ita comprobatum, ut de Aristotele canere minime dubitaret pater Aipio

[...Finxit Alexandro similem natura magistrum...
...omnes ingenio vicit hic ille manu.............]

Disputatio 3ª de opposi tione, aequipolencia, et conversione logica propositionum

Sectio 1ª de oppositione logica propositionum

Haec oppositio definitur: repugnantia formalis duarum propositionum in afirmando et negando idem de eodem secundum idem tempus, et eundem locum. Ita omnis



Omnis Homo eſt Albus
Contrariæ
Nullus Homo eſt Albus
Contra
toriæ
Subalternæ
di
c
c
di
Subalternæ
Contra
toriæ
Aliquis Homo eſt Albus
Subcontrariæ
Aliquis Homo ñ eſt Albus
contradic-
toria.
Petrus est Albus
singularis
Petrus non est Albus

Schola cum Aristotele. Dicitur repugnancia formalis quia logica non curat de opositione objectiva, seu phisica, nec subjectiva, de qua agit Gramatica. Quare propositiones logice oposite debent esse de eodem adequato objecto; hinc istæ propositiones: omnis homo est animal: petrus non est animal; non oponuntur logice. Deinde debent esse de eodem tempore et loco, et licet utrumque brevitatis gracia omitti soleat, semper tamen subintelligitur.

Triplex est opositio logica. scilicet contradictoria, contraria, et subcontraria. Opositio contradictoria est: opositio logica duarum propositionum, quarum una afirmat et alia negat quantum precise suficit ad falsificandam aliam. hæc opositio intercedit inter duas propositiones singulares. Vg. petrus est albus: petrus non est albus. tum inter duas comunes, quarum una est afirmativa, et alia negativa. Vg. omnis homo est albus: aliquis homo non est albus: vel inter duas, quarum prima est comunis negativa et secunda est afirmativa, et disjunctiva: ut nullus homo est albus: aliquis homo est albus.

Opositio contraria est: opositio logica duarum propositionum quarum una afirmat, et alia negat plusquam suficit ad falsificandam aliam: omnis homo est albus: nullus homo est albus. Opositio subcontraria est: opositio logica duarum propositionum, quarum una afirmat et alia negat minus quam suficit ad falsificandam aliam: Vg. aliquis homo est albus: aliquis homo non est albus. Verum hæ non oponuntur adequata opositione logica, sed solum inadequata, quia posunt esse simul veræ licet non posint esse simul falsæ.

Superaddi solet opositio subalterna, sed non est logica, quia nec est in veritate, nec in falsitate et reperitur inter duas propositiones vel afirmativas, vel negativas, quarum una est universalis, et dicitur subalternans. alia particularis, et subalternata vocatur. hæc et hucusque dicta subjicient vestris oculis hæc figura, quam juxta morem lapidem apellamus philosophicam.

Propositiones Contradictoriæ, Contrariæ, et subcontrariæ præter oppositionem, quam habent ratione formæ affirmando, et negando, opponuntur etiam ratione qualitatis, hoc est in veritate, et falsitate. hæc oppositio nititur his duobus principiis lumine naturæ notis. primum est: impossibile est idem simul esse, et non esse. secundum est: quodlibet est, vel non est, quorum sensum reducere solent philosophi ad hoc principium: duo Contradictoria non possunt simul deficere, et simul existere. hoc est non possunt esse simul vera, nec simul falsa. hinc

Assero 1.º propositiones Contradictoriæ sive sint Comunes sive singulares non possunt esse simul veræ, nec simul falsæ. probatur e singularibus. si essent simul veræ istæ propositiones singulares: petrus est albus: petrus non est albus falsum esset primum principium, videlicet: impossibile est idem simul esse, et non esse: petrus enim simul esset, et non esset albus. deinde si essent simul falsæ falsum esset secundum principium. nempe: quodlibet est vel non est; quia petrus nec esset, nec non esset albus; atqui illa principia falsa esse non possunt: ergo.

Probatur a contradictoriis communibus. si esset vera hæc particularis: aliquis homo non est albus; aliquis homo, vg. petrus non esset albus; sed si vera esset hæc universalis: omnis homo est albus, pariter esset vera hæc singularis: petrus est albus: ergo istæ singulares: petrus est albus: petrus non est albus simul essent veræ, quod est contra primum principium. præterea si istæ propositiones Comunes possent esse simul falsæ (cum ad falsitatem hujus: omnis homo est albus requiratur aliquis homo, vg. petrus, qui non sit albus) esset falsa hæc: petrus est albus: et cum ad falsitatem hujus: aliquis homo non est albus, requiratur, quod nullus homo ideoque ideo q. nec petrus sit albus, esset vera hæc: petrus non est albus, ideoque petrus nec esset albus, nec non esset albus contra secundum principium.

Assero 2.º nullæ propositiones Contrariæ possunt esse simul veræ: aliquæ tamen possunt esse simul falsæ. probatur prima pars. si illæ: omnis homo est albus: nullus homo est albus essent simul veræ, simul essent veræ istæ: petrus est albus: petrus non est albus, quæ sunt Contradictoriæ: sed hoc est impossibile: ergo. probatur

2a pars. si petrus non esset albus, esset falsa hac: omnis homo est albus; et si paulus esset albus falsa quoque esset hac: nullus homo est albus. ut de facto evenit in his, et potest evenire in quibuscumque propositionibus de materia contingenti: ergo.

Assero 3o. propositiones subcontrariae non possunt esse simul falsae, sed nihilominus possunt esse simul verae. Probatur 1a pars. si illae propositiones: aliquis homo est albus: aliquis homo non est albus, essent simul falsae, verae simul essent istae propositiones: nullus homo est albus: omnis homo est albus; quae propositiones sunt contrariae illarum; sed hoc repugnat ex assertione antecedenti: ergo. Probatur 2a pars. si petrus est albus est vera hac: aliquis homo est albus; et si paulus non est albus, vera est haec alia: aliquis homo non est albus; sed potest petrus esse albus, et simul paulus non esse albus: ergo.

Harum omnium oppositionum logicarum maxima est oppositio contradictoria, quia est in veritate, et falsitate; contraria enim solum est in veritate, et subcontraria in falsitate. An autem omnis propositio suam contradictoriam habere possit? respondeo, omnem habere posse, dummodo non praescindat a tempore, et loco.

Sectio 2a solvit argumenta contraria

Argues 1o. contra 1am assertionem. Istae sunt contradictoriae: omnis homo est justus: petrus non est justus; sed possunt esse simul falsae casu, quo solus petrus sit justus: ergo. Respondeo nego majorem, quia non habent idem objectum; prima enim subjicit omnem hominem, et secunda solum petrum, quare illius contradictoria erit haec: aliquis homo non est justus. Infer hinc nullam propositionem comunem habere pro contradictoria aliam singularem.

Argues 2o. istae sunt contradictoriae: omnes scholastici student aliqui scholastici non student; sed possunt esse simul falsae, si solus petrus studeat: ergo. Respondeo. nego majorem, quia 2a propositio negat magis, quam sufficiat ad falsitatem primae, ad quod sufficit, ut aliquis scholasticus non studeat, et haec erit contradictoria. Instas atqui illae propositiones logice opponuntur, et non sunt subcontrariae, nec contrariae: ergo. Respondeo nego minorem, quad ultimam partem: sunt enim contrariae, quia altera est affirmativa, negativa altera, et non possunt esse simul verae: possunt tamen esse simul falsae.

Arg. 3º. ista sunt contradictoria: omnes Apostoli sunt duodecim: aliquis Apostolus non est duodecim; sed ambo sunt vera: ergo. Respondeo. nego majorem, quia prima suponit collective, et reddit hunc sensum: omnes apostoli simul sumpti sunt duodecim; et secunda distributive, atque adeo non sunt ejusdem de eodem, secundum idem. Contradictoria ergo esset haec: omnes Apostoli non sunt duodecim; sic enim subjectum utriusque propositionis suponit colective.

Argues 4º. et simul instabis: ergo nullae propositiones comunes sunt contradictoriae. probatur consequentia. omnes propositiones comunes, v.g. istae: omnis homo est albus: aliquis homo non est albus variant supositionem, quia prima suponit de omnibus distributive, et secunda de omnibus disjunctive; sed hoc modo variare est variare supositionem: ergo. Respondeo nego consequentiam ad hujus probationem dico, suponere distributive afirmando, et disjunctive negando, minime variat supositionem, ita ut varietur subjectum; prima enim ex adductis propositionibus reddit hunc sensum: et hic, et ille, et alius homo est albus; secunda autem reddit eundem sensum, nempe non est albus et hic, et ille, et alius homo, et ceteri.

Objicies 5º. ista sunt contradictoria: petrus essentialiter est albus: petrus essentialiter non est albus; sed utraque est falsa; quia albedo non est de essentia petri, nec non albedo: ergo. Respondeo. nego majorem prima propositio non tam afirmat a petro esse album, quam modum; et modum hunc non negat secunda, imo suponit. Quare illius contradictoria debet modum negare, ut negat ista: petrus non est essentialiter albus. nota hinc ex patre Oviedo in propositionibus, quibus adverbium verbo inest negationem debere afficere et verbum, et adverbium, ut contigit in adducta.

Argues 6º. eadem propositio potest esse simul vera, et falsa: ergo multo magis duae contradictoria possunt esse simul verae, vel simul falsae. probatur antecedens. haec propositio: ego sum propositio falsa simul est vera, quia dicit, se esse falsam, et hoc verum est; et inde est falsa, nam afirmat quod falsum est, nimirum se esse falsam. Respondeo negando antecedens, et supositum, quod talis propositio sit posibilis.

Instas 7º. posibilis est haec propositio: ego sum propositio vera: ergo

posibilis est ejus Contradictoria; sed ejus Contradictoria est hoc: ego sum propositio falsa: ergo. Respondeo concesso antecedenti, et consequentia nego minorem subsumptam; non enim sunt contradictoria illa: ego sum propositio vera: ego sum propositio falsa. Primo, quia ambo sunt afirmativa. 2º quia ambo sunt actu falsa in petro, nam falso diceret: ego sum propositio vera; et etiam: ego sum propositio falsa: tu ergo ut ei asignes contradictoriam primam sic expones: hoc propositio est falsa, et erit ejus contradictoria: hoc propositio non est falsa.

Instas 2º ergo saltem in voce, aut scripto posibilis est illa propositio, nam ego pronuncio, et vos scribitis: ego sum propositio falsa: ergo saltem propositio vocalis, aut scripta poterit simul esse vera, aut falsa: ergo et duo contradictoria tales esse poterunt. Respondeo: concessa prima nego secundam consequentiam. Propositio vocalis, aut scripta solum est propositio per similitudinem, et catenus afirmare dicuntur, quatenus sunt signa afirmationis, aut negationis, nempe conceptus loquentis.

Arguies 7º ista sunt contradictoria: solus petrus est animal: solus petrus non est animal; sed ambo sunt falsa, quia etiam leo est animal, et lapis non est animal: ergo. Respondeo nego mayorem, quia negatio non aficit totam copulam propositionis afirmativa, que debet sic exponi: petrus est animal, et nihil aliud est animal, quae propositio cum sit copulativa habet pro contradictoria hanc disjunctivam: petrus non est animal, vel aliquid distinctum a petro est animal. Similis contradictoria disjunctiva debet asignari huic, et aliis copulativis: petrus currit, et venatur.

Ad alia solvenda nota 1º in propositionibus simplicibus, et absolutis negationem debere aficere copulam tantum: in reduplicativis, causalibus, exceptivis, et ipoteticis reduplicationem, causalem, exclusionem, et ipotesim, sic exemplum. Cicero in quantum orator &. Nota 2º ex Aristotele asignari posse contradictoriam cuilibet propositioni afirmando negationem toti propositioni. Sed quoniam regula hoc duos patitur manes petit illa potexis, cum maxime dificile sit in prompttu alicuy propositioni contradictoriam asignare.

Objicies 8º contra 2am assertionem.

ista sunt Contradictoria: omnis homo est animal; nullus homo est animal; sed non possunt esse simul falsa: ergo. respondeo Distinguo minorem. non possunt esse simul falsa ratione materiæ, concedo minorem: ratione formæ nego minorem. patet etiam in mutatione materiæ necessariæ illarum propositionum in has de materia contingenti: omnis homo est albus: nullus homo est albus, quæ sunt contrariæ, et simul falsæ. hinc solum possunt esse falsæ propositiones contrariæ de materia contingenti, et hac de causa posuimus in assertione ly aliqua.

Animadverte in fine, non intercedere oppositionem propriã inter illas propositiones, quarum subjectum, vel prædicatum pro diversis supponuntur. v.g. si in una alienetur, restringatur, supponatur hoc vel alio modo, quo non supponatur in alia, quia ut jam diximus oppositio contradictoria debet esse ejusdem = de eodem, secundum idem. quod præ oculis habere debes, ut te expedias a non paucis, nec minimis difficultatibus, quæ passim occurrunt.

Sectio 3ã de propositionibus modalibus

Solent hic Dialectici secuti petrum Hispanum, et alios non nullos pontem construere, quo simulitiæ propositionum modalium flumen sicco pede trajiciant. ego vero vos tam ad discernendum agiles, quam alacres ad conspiciens; pontem inutilem suscepisse laborem crederem si vos in hac immani mole construenda immorarem: cum flumen illud quantumcumque illud sit, salvi prætenire possitis, quod ut feliciter vobis contingat, audita prius modalium propositionum natura, regulas subjiciam.

Propositio igitur modalis est, quæ explicat modum, quo prædicatum convenit subjecto, et ultra modum etiam importat dictum. modus ergo expressio illa, quæ significatur quo modo prædicatum subjecto conveniat. dictum est illud supra quod modus appellat v.g. petrum currere est contingens; ly petrum currere est dictum, et supra hoc appellat ly contingens, seu modus explicans currum convenire petro contingenter. hoc supposito attende 1°. non ad dictum, sed ad modum, quia ex modi affirmatione, vel negatione, convenientia vel disconvenientia cum dicto propositio erit affirmativa, vel negativa, vera, vel falsa. 2°. non ad prædicatum, sed ad subjectum propositionis attende, ut illius quantitatem calleas.

Scito deinde, exponendas esse propositiones, quæ aliquid supponunt

vel habent occultum sensum, sed ita, ut propositio exponens non va
riet suppositionem propositionis expositæ. Sic hæc propositio subiecto
supponens: ethiops albus currit. exponenda est sic: ethiops est
albus, et currit, et erit contradictoria hæc Disjunctiva: vel ethiops
non est albus vel non currit. hæc alia: solus Deus est ab eter
no reddit hunc sensum: Deus est ab eterno, et nihil aliud præ
ter Deum ab eterno est, et erit ejus contradictoria hæc Disjunc
tiva: vel Deus non est ab eterno, vel aliquid præter Deum ab e-
terno est.

Sed audi jam propositiones modales Dialecticas, quæ
ob specialem Difficultatem in ponte scribi solebant. prima est:
petrum currere est necesse. secunda. petrum currere est im
posibile. 3a. petrum currere est posibile. 4a. petrum cu
rrere est contingens. sic illas expones, primam: petrus nece
sitatus est ad currendum. secundam: petrus non potest cu
rrere. tertiam: petrus potest currere. 4am denique: petrus
potest non currere.

Vides 1am, et 4am ex his modalibus esse
contradictorias si de eadem necesitate, sive eadem potencia, et
cursu loquantur. 2am, et 3am esse quoque inter se contra
dictorias si de eadem potestate et cursu loquantur. Ani-
madverte tandem, has 4or propositiones esse singulares quia
earum subjectum singulare est. Ex quo fit, ut non recte omni
no illas exponat, qui dicat hanc propositionem: petrum cu
rrere est necesse. reddere hunc sensum: aliquod petrum cu
rrere est necesse, ejusque contradictoriam esse: nullum pe
trum currere est necesse.

Sectio 4a de Æquipolentia, et conversione logica propositionum

Æquipolencia propositionum nihil est aliud, quam duarum
propositionum equivalencia; ut ergo Dua propositiones reddan
tur equipolentes, seu equivalentes tres regula observandæ su
nt, quæ deserviunt pro triplici specie propositionum, nempe
contradictoriis, contrariis, et subalternis, nam in subcontra
riis nullam inveniri posse equipolentiam communis docet o
pinio. Tres has regulas dabit hoc carmen.

.... præ contradic. post contra: præ postque subalter. ....

Præ contradic significat negationem positam ante sub-
jectum equivalere stricta contradictoria. En exemplum.

pone particulam non ante subjectum hujus propositionis: omnis homo est albus, et formabis hanc: non omnis homo est albus, quae eadem est ac haec: aliquis homo non est albus. Post contra significat negationem positam post subjectum efficere propositionem contrariam. sic pone particulam non post subjectum hujus propositionis: omnis homo est albus, erit haec alia: omnis homo non est albus, quae equivalet huic: nullus homo est albus. Prae post q[ue] subalter significat negationem positam ante, et post subjectum reddere propositionem subalternam. v.g. ponatur particula non ante, et post subjectum hujus propositionis: omnis homo est albus: non omnis homo non est albus, quae eadem est ac ista: aliquis homo est albus. ut autem hanc equipolentiam calleas, accipe haec carmina:

Nōn ōmnis, quidām nōn: ōmnis nōn quăsi nūllus:
Nōn nūllus, quidām: sed nūllus nōn, vălet ōmnis:
Nōn ăliquis, nūllus: nōn quidām nōn, vălet ōmnis:
Nōn ălter, neuter: neuter nōn rĕdit ŭterquē.

Ad secundam sectionis partem ut veniamus sic explico logicā conversionem: Bona consequentia unius propositionis in aliā per translationem, seu mutationem subjecti in praedicatum, seu praedicati in subjectum, manente eadem afirmatione, vel negatione v.g. nullus homo est leo: ergo nullus leo est homo. propositio illata dicitur convertens, et illa ex qua infertur dicitur conversa. haec conversio triplex est. prima simpliciter cum datur mutatio subjecti in praedicatum, et ē contra, v.g. nullus homo est lapis: ergo nullus lapis est homo, servata, ut vides, universalitate. secunda per accidens, q[uan]do fit mutatio subjecti in praedicatum, et ē contra, sed mutatur etiam quantitas propositionum, v.g. omnis homo est animal: ergo aliquod animal est homo. 3a per contrapositionem cum non solum fit illa conversio, sed etiam utrumq[ue] infinitatur absq[ue] variatione termini quantitativi, v.g. omnis homo est visibilis: ergo omne non visibile est non homo. audi carmina, quibus istae conversiones continentur.

Simplicĭter fECI, convertitur EVA per acci.
ASTO per contra, sic fit conversio tota.

Ut autem haec, et sequentia carmina intelligas animadvertere debes quatuor vocales A, E, I, O reddere hanc significationem. A propositionem universalem afirmativam. E universalem negativam. I afirmativam particularem.

O particularem negativam. En Carmina:

II ... Asserit A, negat E, sunt universaliter ambæ ....

... Asserit I, negat O, sunt particulariter ambæ II

Vides hinc, propositionem universalem negativam, et particularem afirmativam in litteris E, et I Dictionis FECI converti simpliciter: universalem vero afirmativam, et negativam universalem expressas per vocales E, et A Dictionis EVA converti per accidens, et universalem afirmativam, et particularem negativam Dictionis ASTO converti per contrapositionem habes exempla conversionum numero 182.

Disputatio ultima complectens omnia, quæ ad silogismum pertinent

Sectio 1a De silogismorum materia, et forma

Memoria tenetis absdubio Divisisse nos numero 162 argumentationem in Aristotelicam, et non Aristotelicam; sed quoniam ibi primam Divisionis partem quasi incidentem attingimus, agendum nunc nobis est de ea, et ita agendum, ut quæ modo vitalia vobis sunt proponentes reliquæ ad ultimum logicæ librum secuti magnum Aristotelem commodius reserremus.

Quilibet igitur silogismus Aristotelicus importat materiam, et formam. Materia duplex est alia proxima, et sunt tres propositiones, quibus constat silogismus: alia vero remota, et sunt tres termini, qui quia componunt silogismum vocantur silogistici; Dicuntur etiam extrema, quæ tria sunt, nempe majus extremum, minus extremum, et medium verbum. Majus extremum est terminus, qui in propositione Directa est prædicatum, et cum locus prædicati sit nobilior ideo dicitur majus. Terminus vero, qui in conclusione silogismi Directi est subjectum appelatur minus extremum: Dicitur illa propositio, in qua reperitur majus extremum dicitur major; illa vero in qua reperitur minus extremum dicitur minor. Ut

hac extrema invenias in quolibet silogismo disce hæc carmina.

. . . . Verbum, quod mayor simul et conclusio dicunt. . . . . . .
Extremum est majus. Minor, et conclusio dicunt?
Est minus extremum; medium sed dicere verbum,
. . . . Quod minor, et mayor dicitur quicumque valebit. . . . . . .

Sit exemplum hic silogismus: omnis homo est animal; sed Petrus est homo: ergo Petrus est animal. Animal reperitur in mayori, et in conclusione, ideoque est majus extremum. Petrus reperitur in minori, et conclusione, est ergo minus extremum: homo reperitur in mayori et minori, adeoque est medium verbum. Efforma tibi similes silogismos directos, ut eorum pariter extrema invenias.

Forma silogistica est: recta terminorum dispositio et propositionum in figura, et modo. Figura est: apta dispositio medii verbi cum extremis ad inferendam conclusionem: modus vero est: apta dispositio præmissarum, et conclusionis secundum quantitatem, et essentialem qualitatem. Verum figura est triplex. 1a. in qua medium verbum est subjectum in mayori et prædicatum in minori. 2a. in qua medium verbum est prædicatum in utraque præmissa. 3a. in qua medium verbum est subjectum in utraque præmissa ut docent hæc carmina:

. . . Prima prius subjicit medium: dehinc prædicat ipsum. . .
. . . Altera bis dicit. Bis tertia subjicit ipsum. . . . . . .

Sub qualibet ex tribus figuris multi sunt modi, sed utiles ad concludendum sunt tantum illi, qui conformantur regulis silogisticis ab Aristotele traditis: istæ autem regulæ sunt duæ. 1a. ambæ præmissæ silogismi non possunt esse negativæ. 2a. medium verbum debet apte distribui in præmissis; et ita, ut in eodem sensu, in quo requiritur identitas ipsius cum uno extremo, ut una præmissa sit vera; requiratur identitas, vel distinctio ab alio extremo, ut altera præmissa sit etiam vera. En modos silogisticos communes, et magis obvios (sunt enim alii, qui ad nullam ex his figuris reduci possunt) his carminibus comprehensos.

. . . Barbara. Celarent. Darii. Ferio. Baralipton. . . . . .
Celantes. Dabitis. Fapesmo. Frisesomorum. . . . . . .
Cesare. Camestres. Festino. Baroco. Darapti. . . . .
. . . Felapton. Disamis. Datisi. Bocardo. Ferison. . .

Unaquæque ex his dictionibus continet tres vocales, quarum

1a significat mayorem. 2a minorem. 3a consequentiam. De illis quae superfuerint Dictionibus frisesomorum, et Baralipton nihil cures addita siquidem sunt ob mensuram carminis. totus ergo futurus est in animadvertendis vocalibus, ut sciás propositionum quantitatem et formam juxta regulam: Asserit A, &c. Vides ergo Dictionem Barbara significare modum 1ae figurae, et idcirco constare omnibus propositionibus universalibus, et afirmativis. Quod ut etiam a aliis animadvertere posis subjicio hic more omnium modorum exempla.

Modi Directi 1ae figurae

Bar. omnis homo est animal;
ba. sed omne visibile est homo:
ra. Ergo omne visibile est animal.

Ce. nullum animal est lapis;
la. sed omnis homo est animal:
rent. Ergo nullus homo est lapis.

Da. Omnis homo est animal;
ri. sed aliquid rationale est homo:
i. Ergo aliquid rationale est animal.

fe. nullum animal est lapis;
ri. sed aliquis homo est animal:
o. Ergo aliquis homo non est lapis.

Modi Indirecti 1ae figurae.

Ba. omne animal est substancia;
ra. sed omnis homo est animal:
lip. Ergo aliqua substancia est animal.

Ce. nullum animal est lapis;
lan. sed omnis homo est animal:
tes. Ergo nullus lapis est homo.

Da. omnis homo est animal;
bi. sed aliquod rationale est homo:
tis. Ergo aliquod rationale est animal.

fa. omnis homo est animal;
pes. sed nullus lapis est homo:
mo. Ergo aliquod animal non est lapis.

fri aliquod animal est homo;
se sed nullus lapis est animal;
so Ergo aliquis homo non est lapis.

Modi 2ae figurae

Ce nulla arbor est animal;
sa sed omnis homo est animal:
re Ergo nullus homo est arbor.

Ca. omnis homo est animal;
mes. sed nulla arbor est animal:
tres. Ergo nulla arbor est homo.

fes. nullus leo est arbor;
ti. sed cupresus est arbor;
no. Ergo cupresus non est leo.

Ba. omnis leo est animal;
ro. sed aliquis lapis non est animal:
co. Ergo aliquis lapis non est leo.

Modi Directi 3ae figurae.

Modi Directi 3æ figuræ.

Da. omnis homo est animal;
rap. sed omnis homo est visibilis:
ti. ergo aliquod animal est visibile.

Da omnis homo est vivens;
pi sed aliquis homo est animal:
si ergo aliquod animal est vivens.

fe. nullus homo est lapis;
lap. sed omnis homo est visibilis:
ton. ergo aliquod visibile non est lapis.

Bo. aliquis leo non est lapis;
car. sed omnis leo est animal;
do. ergo aliquod animal non est lapis.

Di. aliquis homo est animal;
sa. sed omnis homo est vivens:
mis. ergo aliquod vivens est animal.

fe nullus leo est lapis;
ri. sed aliquis leo est animal:
son. ergo aliquod animal non est lapis.

Habes jam totam silogismorum machinam adeo artificio se elaboratam, ut seculorum omnium admirationem, approbationemque meruerit. Sed dubitare hic poteris ad quam figuram pertineant illi silogismi, qui vi formæ concludunt, et quorum propositiones omnes sunt singulares, ut patet in isto: hic homo est caput totius ecclesiæ; sed Clemens Decimus tertius est hic homo: ergo Clemens est caput totius ecclesiæ. Respondeo, ad tres Aristotelicas figuras pertinere posse, sicut pertinet omnis silogismus expositorius juxta diversam illius, quam patitur constructionem, seu medii verbi collocationem.

Sectio 2ª rejicitur quarta figura, et de reductione silogismorum.

Hæc figura dicitur Galenica ab auctore Galeno Medicorum fa[cile] Principe, quare mirari minime debes illius patrocinium a medicis totis viribus esse susceptum: nos vero, qui Galeno de humani corporis angoribus disputanti facile credemus; ab illo recedemus secuti Aristotelem principem nostrum, et communem omnium philosophorum sententiam. Igitur contra illos.

Probatur 1ma conclusio. Figura Galenica est dispositio medii verbi, quod sit prædicatum in majori, et subjectum in minori; sed hæc dispositio non differt essentialiter a prima figura: ergo rejicienda est. Probatur minor. Prima figura essentialiter est dispositio medii verbi in subjectum unius præmissæ, et prædicatum alterius, ita tamen, ut præmissa major non sit illa, quæ primo profertur, sed illa, in qua majus extremum reperitur juxta dicta numero 187; sed in silo

gismo Salenica figura mayus extremum reperitur in 2ā propositione: ergo 2ā propositio est propositio mayor. atqui si est propositio mayor silogismus ille pertinet ad 1ām figuram: ergo.

Objiciunt Medici. mutatio mayoris in minorem facit modum esentialiter diversum, ut patet in Cesare, et Camestres: ergo mutatio mayoris in minorem facit figuram esentialiter diversam. Respondeo nego antecedens, quia modi, qui solum diferunt in diversa colocatione earumdem propositionum non sunt esentialiter diversi, sed ad summum accidentaliter. Instas. Accidentalis mutatio partium constituit artefactum esentialiter distinctum; si enim trianguli lineam mutes, jam non constituent triangulum, sed aliud artefactum Mathematicum: ergo licet illa mutatio sit accidentalis constituet figuram esentialiter diversam.

Respondeo distingo antecedens. si mutatio illa sit esentialis artefacto concedo; si non sit nego antecedens, et consequentiam. Triangularis dispositio linearum est esentialis artefacto; atq. adeo non est accidentalis mutacio unius lineæ ad aliam figuram. Silogismo autem accidentaliter advenit, unam propositionem proferri priorem aliam; de esentia enim illius solum est habere medium terminum sic, vel sic dispositum. ita eadem est esentialiter propositio si dicas. Christus redemit hominem ac si dicas: hominem redemit Christus.

Quoad 2ām sectionis partem reductio silogismorum est: Ars quædam à philosophis excogitata, cujus regulis arguens ad quattuor primos modos silogismos omnes reducit. ingeniosa illa quidem est, et subtilis. an autem necesaria sit audite patrem Arriaga Ingolstaliensis, et Pragensis Universitatis meritisimum Cancelarium. qui dubio satisfacit. Per viginti annos continuos in scholis degens, et in nobilisimis Academiis frequentissimis Disputationibus præsens, nec vel semel aliquem hâc reductione utentem, aut indigentem audivi. De silogismo sofistico agemus libro ultimo logicæ juxta methodum Aristotelis.

Sectio 3ā regulas aliquas ad formandos silogismos proponit

Prima Regula: Ex duabus propositionibus particularibus, v.g. aliquis homo est petrus: aliquis homo est albus nihil infertur vi formæ; quia medium terminum est indeterminatum, sumique potest in una præmisa pro uno, et in alia pro alio, quo fit, ut non sit unum ter

tium, cum quo extrema identificantur; aliqdo tamen aliquid infer tur vi materiæ, ut in hoc silogismo: aliquod animal est vivens; sed aliquod vivens est homo: ergo aliquod animal est homo. aliter evenit in præmissis singularibus, quæ quidem vi formæ concludunt quia in illis medium verbum est determinatum, ut in hoc silogismo: Maria Virgo est sine peccato concepta; sed femina sine peccato concepta est mater Dei: ergo Maria Virgo est mater Dei.

2a Regula. silogismus debet habere tres tantum terminos objectivos, et dispositivos ut diximus numero 187. 3a Regula. ex universali, et particulari afirmativis non infertur conclusio universalis afirmativa; sicuti ex una præmissa afirmativa, et alia negativa nulla infertur conclusio afirmativa. 4a Regula ex omnibus præmissis negativis nihil concluditur; non enim potest inferri, hominem non esse lapidem ex eo, quod vivens non sit lapis nisi afirmetur deinde hominem esse viventem.

Dices tamen 1o. ex duabus præmissis afirmativis sequitur conclusio afirmativa: ergo pariter ex duabus negativis sequetur negativa. Nego consequentiam, et est disparitas ratio supra adducta; quia videlicet inferri nequit hominem distingui à Leone, quin probetur, hominem esse aliquid, quod non sit Leo. Dices 2o. iste silogismus recte concludit, et ejus conclusio est negativa deducta ex præmissis negativis: quod non est animal non est homo; sed lapis non est animal: ergo lapis non est homo. Nego antecedens, quoad 2am partem, quia minor hujus silogismi est afirmativa, et habet hunc sensum; sed lapis est aliquid seu ens, quod non est, quod non est animal, quæ propositio afirmat identitatem entis cum lapide.

5a Regula ex præmissis falsis aliquando vi formæ sequitur verum. Ex præmissis autem veris nunquam sequitur falsum, nisi in divinis, et qdo medium verbum virtualiter distinguatur ab extremis. Patet 1um hoc exemplo: lapis est animal; sed homo est lapis: ergo homo est animal. 2um patet in hoc silogismo: paternitas est natura divina; sed natura divina est filiatio: ergo paternitas est filiatio. Quæ conclusio falsa est propter distinctionem, quam vocant virtualem inter naturam, et paternitatem.

6a Regula. Ab universali negativa valet consequentia ad particularem negativam in materia necessaria. Vg. homo non est Leo: ergo aliquis homo non est Leo; et item ergo petrus non est Leo: ab inferiori autem valet afirmative. Vg.

est homo: ergo est animal. ab actu ad potentiam, ut: petrus currit: ergo potest currere; et a negatione potentiæ ad actus negationem. v.g. non potest currere: ergo non currit; non vero a negatione actus ad negationem potentiæ. v.g. non currit: ergo non potest currere. Sic etiam discurre a causa ad effectum, a causa scilicet a qua effectus debeat necesario procedere.

7ª Regula. quidquid componitur cum veritate antecedentis, componitur cum veritate consequentis; non vero semper & contra. Sic quod componitur cum homine. v.g. visibile componitur cum animali; petrus enim simul est homo, animal, et visibile; non vero quidquid componitur cum animali. v.g. rugibile componitur cum homine; nequit enim petrus esse simul homo, animal, et rugibile. 8ª Regula. ex oposito consequentis recte infertur opositum antecedentis, non vero & contra: sic dicas: petrus est homo: ergo est animal, recte inferendo: non est animal: ergo non est homo; male autem inferres ex oposito antecedentis opositum consequentis, sic: non est homo: ergo non est animal, nisi forte cum antecedens, et consequens equé se extendunt, v.g. est homo: ergo est visibile: non est visibile: ergo non est homo.

Sectio ultima de locis dialecticis

loca Dialectica dicuntur: motiva illa, unde argumenta sumi posunt. 1º a constitutivis. Constitutivum est id, quod constituit ens in aliquo esse. Id, quo præcise intelecto intelligitur adequate ens, est adequatum constitutivum entis. id, quo præcise intelecto non intelligitur ens adequatum est saltem inadequatum constitutivum entis. omnia constitutiva entis simul sumpta, et ens adequatum sunt idem. nullum constitutivum entis distinguitur adequate ab ente. omnes partes seorsim acceptæ identificantur inadequate, et inadequate distinguntur a toto. omnes partes simul sumptæ identificantur adequate cum toto. variata parte variatur totum. variato toto variatur aliqua saltem pars.

2º a causis. Causa alia est necesaria, et est quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum non potest non operari. alia est libera, quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum potest operari, vel non operari. omnis causa quando causat existit. omnis causa eficiens distinguitur realiter adequate a suo efectu. omne ens creatum causatur. Quod non est creatum non causatur, sed ¿? [illegible] producitur. Causare est dare esse termino finito.

3°. à connexis. omne connexum infert terminum connexionis, sufficiente termino connexionis efficit connexum. Contradictorium termini connexionis est connexum cum contradictorio entis connexi. omne simile est dissimile. omne dissimile est simile. omne simile, et dissimile est distinctum. omne distinctum est dissimile, notabiliter dissimilia sunt specie distincta. Quod convenit uni ratione unius prædicati convenit aliis habentibus idem prædicatum.

4°. à Distinctis. omne distinctum, aut est distinctum à parte rei, hoc est realiter, et absq. aliqua cognitione, aut est distinctum à parte formæ seu formaliter, hoc est per aliquam cognitionem. omnis distinctio est pluralitas. Distinctivum entis est constitutivum entis. Quæ possunt separari distinguuntur; non vero omnia, quæ distinguuntur possunt separari. Quod distinguitur à constitutivo entis distinguitur saltem inadequatè ab ente. Duo contradictoria esse non possunt ambo necessaria, nec impossibilia; possunt tamen esse contingentia.

5°. ab Autoritate, atq. in primis sacrarum scripturarum quibus omnis fides adhibenda est. 53

Loḡa Magna

Proœmium

Præmiſsis ſumuliticis Diſputationibus, quæ ad difficiliora viam sternere debent, magnã logicam aggredimur, illam inquã facultatẽ, quæ græce Dialectica; latine vero Rationalis Philosophiæ nuncupatur. homine digna prorsus sciencia, nam si nos a recto rationis usu homines vocamur, et sumus; perpendite quanti apud vos ſit futura illa Sciencia, cujus regulis nræ rationis operationes ad veram rerum cognitionẽ informari debent. Quare mirum videri debet nemini, facultatem hanc à summis viris in agni semper esse habitam, magnisq.º donatam nominibus. Ars verè disserendi a Platone; ab Agustino Ars disputatoria; à Varone & Verulamio Ars Artium; a Tulio veri, et falsi quasi disceptatrix ſudex nuncupata est; et ab aliis longe illustrioribus Encomiis decorata.

Liber 1mus

DE LOGICÆ PROŒMIALIBUS

Tribus Disputationibus librum hunc absolvemus, in 1a. essenciam, perfectiones, necessitatẽ, et logicæ causas. in 2a. divisiones, et quæ ex illis suboriuntur difficultates. In 3a, tandem Logicæ directæ objectum proponemus. quæ vero toto hoc libro tractanda occurrunt ea vos memoria retenere debetis; Doctrina enim facultatibus omnibus communis est; quoniamque de logica dicimus de aliis etiam facultatibus, prout uniuscujusq.º conditio patiatur, acommodanda sunt.

Dsp.tio 1a

essensiã, perfecnes, necctem et causas Logicæ inquirit

Sectio Vña Logica directa definitur

Logicam sic recte definies: facultas agens de modo sciendi. genus hujus definitionis est facultas, quæ est actus vel habitus perficiens intellectũ. agens de modo sciendi est differencia: agere autem est asserere de aliquo.

probatur rectitudo definitionis. Qualibet facultas definiri debet per esse facultatem agentem de eo quod est suum objectum; sed logica est facultas, et suum objectum est modus sciendi: ergo loca sic debet definiri. mi. Quoad 1am partem constabit ex seccione sequenti, et quoad 2am est indubitata. Pr. ergo mayor ceterarum facultatum paritate. Theologia est facultas agens de Deo ejusque perfeccionibus: Phisica de ente naturali, hoc est composito ex materia, forma et unione substanciali bus: Metaphisica de ente immateriali: Ethica seu Moralis de moribus; sed hoc ideo quia Deus est objectum theologiæ, Ens naturale Phicæ; Ens immateria Metaphisicæ et Mores Ethicæ: ergo si modus sciendi est objectum logicæ, definitur &c. Thomistæ sic logicam definiunt: sciencia dirigens opera rationis. sed pessime, quia illa definitio nec convenit logicæ actuali, nec habituali. Pr. hic actus Ens rationis fictum est objectum logicæ est logica actualis (nam habet pro objecto quod juxta Thomistas est objectum logicæ); sed non est sciencia (quia est actus solum probabiliter certus: ergo definitio illa non convenit logicæ actuali. Pr. de habituali habitus relictus a repeticione definitionis est logica habitualis; sed non est sciencia, cum non sit relictus a Demonstracione: ergo thomistica logicæ definitio nec convenit logicæ actuali, nec habituali.

Objicitur 1º contra nostram definitionem: ergo Animastica est logica. Pr. contia. Animastica est facultas agens de actibus vitalibus; sed actus vitales sunt modus sciendi: ergo Animastica est facultas agens de modo sciendi: ergo est logica. Respondeo nego consequentiam, et distinguo minorem probationis: actus vitales sunt realiter modus sciendi, concedo, formaliter nego minorem, et contiam in sensu distinctionis. Itaque agit quidem Animastica omnem cognicionem, sed prout illa actus vitalis est; prout vero est modus sciendi de illi non curat. Sic etiam Metaphisica agit de cognitione prout illa est ens immateriale; prout autem est modus sciendi ad Metaphisicam minime pertinet. Objicitur 2º aliquid agit formaliter de modo sciendi, quod non est logica: ergo logicæ definitio convenit alii a definito. Pr. antecedens: hic actus: propositio debet esse falsa, agit formaliter de propositione, quæ est modus sciendi; sed non est logica: ergo. Respondeo totum argumentum dempta 1a contia, nos enim non definimus logicam per agere de modo sciendi, sed addimus esse facultatem, et actus adductus non est facultas, est enim falsus, et non perficit, sed imperficit intelectum. Objicitur 3º hic actus: terminus logicus est pars, est facultas, et agit de modo sciendi; sed non est logica: ergo. mayor quoad 1am partem est certa, nam ille actus verus est, adeoque perficit intelectum; quoad 2am partem probatur. hic actus agit de termino logico; sed terminus logicus est modus sciendi, nam est propositio: ergo. Respondeo, distinguo mayorem quoad

secundam partem; agit formaliter de modo sciendi, nego majorem; at agit materialiter, concedo majorem; agit enim de termino logico, qui realiter est modus sciendi; deinde concessa minori, nego consequentiam. terminus logicus nec sub hoc conceptu, nec sub conceptu partis est formaliter modus sciendi, atq. adeo de illo non agit logica, q. solum respicit illos actus qui sunt formaliter modus sciendi.

Sectio 2ª de logicæ perfectionibus agit

habet intellectus suas virtutes, quibus perficitur, et dicuntur virtus mentis: hec vero ita definitur: actus vel habitus inclinans infalibiliter in verum. quinque numerantur virtutes mentis ab Aristotele sexto ethicorum Capite 3º ad 7um nempe Inteligentia, Sapientia, prudentia, sciencia, et Ars. an autem iste virtutes logice conveniant? resolvo jam primo. logica juxta aliquos actus, et habitus est virtus mentis. probatur. sunt in logica aliqui actus, et habitus inclinantes infalibiliter in verum, ut isti: definitio debet esse clarior suo definito: divisio debet totum dividere in suas partes: ergo juxta hos actus, et habitus ex illis generandos, logica est virtus mentis

Resolvo 2º logica juxta aliquos actus, et habitus est inteligencia. probatur. Inteligencia est virtus mentis innixa principiis lumine naturæ notis: sed sunt in logica isti actus: divisio debet dividere totum in suas partes. explicatio debet esse clarior re explicata, qui actus sunt virtus mentis, et innituntur principiis lumine naturæ notis: ergo secundum hos actus, et habitus ex illis generandos logica est inteligentia.

Resolvo 3º logica non est sapiencia stricte sumpta. probatur. sapientia sic sumpta est virtus mentis, quæ est conclusio habita per demonstrationem ex motivo supernaturali; sed logica in suis conclusionibus non innititur motivis supernaturalibus, nec de illis curat, sed de recta dispositione premissarum: ergo logica non est stricte sapientia. similiter resolvo 4º logica non est prudentia stricte sumpta, quia prudentia sic sumpta est: virtus mentis dirigens formaliter actus honestos; atqui logica prescindit ab honestate actuum ad quos dirigit: ergo.

Resolvo 5º logica secundum aliquos habitus, et actus est sciencia. probatur. sciencia est virtus mentis, quæ est conclusio vera, certa, et evidens, deducta ex similibus premisis; sed talis est hec conclusio: definitio est explicatio definiti; sed explicatio debet esse clarior re explicata: ergo definitio debet esse clarior definito: ergo. infert hinc, logicam Analiticam, seu demonstrativam, Thopicam, seu probabilem, et tandem Sofisticam, seu agentem de silogismo falaci esse propriæ scienciam, quia proprie demonstrat falaciam et probabilitatem silogismorum.

Resolvo 6º logica est Ars. probatur. Ars est: virtus mentis dirigens actus, prescindendo formaliter ab eorum honestate. sed logica dirigit ad actus, et ab eorum honestate prescindit quandoquidem de illa non curat: ergo. advertite tamen artem esse multiplicem; alia

enim est activa, cujus opera tantum durant, quantum durat actio, et non amplius: talis est musica, saltatoria, lusoria, et etiam logica. Alia est factiva, cujus opera sunt permanentia. etsi fiant ex actuali direxione artis, aut illius regulis correxe pendeant, dicuntur artificiosa in actu 2°. Alia insuper est liberalis que magis mente quam corpore alia mecanica que magis corpore, quam mente exercetur. Accipe artes his duobus carminibus liberales in primo mecanicas in secundo.

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus astra
Rus, nemus, arma, rates, vulnera lana faber

En carminum aplicationem suo ordine Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Musica Geometria, Astrologia. Agricultura, Venatoria, Militaris, Nautica, Chirurgia, textoria et fabrilis, harum posteriores, quia Rome, solum a servis exercebantur, serviles dicte sunt. qui plura desideret circa artium noticiam, habeat non sine fructu eminentissimum virum Cardinalem toletum Illustrissimum Caramuelem Benedictinum; et Celebrem Virgilium Georgicorum libro 1°.

Dices tamen 1°.

Aristoteles 2° Metaphisice, Capite 3° dixit: absurdum est simul querere scienciam, et modum sciendi: ergo logica que querit seu agit de modo sciendi non est sciencia. Respondeo, Aristotelem nihil aliud docuisse, nisi logicam non debere addiscere docere simul cum metaphisica, que, antonomastice vocatur sciencia, et ante Aristotelem simul cum logica docebatur. Dices 2° ergo hec conclusio: definitio est explicatio essencie definiti; sed explicatio est clarior re explicata: ergo definitio est clarior definito, simul est sciencia et inteligentia. Respondeo, esse utrumque sub diversis conceptibus; nam prout est inteligentia est actus innixus principiis lumine nature notis, et prout est sciencia est conclusio habita per demonstrationem.

Dices 3° Aristoteles non enumeravit logicam inter virtutes mentis. Concedo; sed hoc ideo fecit Aristoteles, quia cum logica sit sciencia et ars, non potest non esse virtus mentis. Instas. logica est via ad virtutes mentis. fateor, sed baptismus est via ad alia sacramenta cum ipse sit sacramentum. Replicatis. logica non est ultima perfectio ~~cum restet adhuc~~ habentis illam. Retorqueo argumentum. theologia non est ultima perfectio, cum restet adhuc visio beata, que est perfectior cognitio: ergo theologia non est virtus mentis? est profecto, quia est ultima perfectio in sua linea, sicut logica est in linea cognitionis agentis de modo sciendi.

Dices 4° contra 6.am resolutionem. Objectum artis debet posse fieri bene vel male; sed tale non est objectum logice: ergo logica non est ars. Probatur minor. definitio, divisio &c si male, fiunt non sunt definitio, nec divisio &c: ergo. Respondeo distinguo majorem. Objectum artis mecanice, debet posse fieri bene vel male, concedo; liberalis, qualis est logica, nego majorem. Actus, qui sunt objectum logice, sunt intransibiles, et artificium logicum est illis intrinsecum, et identificatum: artificium vero mecanicarum est extrinsecum objecto, et variabile, ut patet in statua.

Sectio 3ª De necessitate logicae agit.

Duplex distinguenda est necessitas alia simpliciter, qdo res fieri nullo modo potest, saltem naturaliter sine eo, quod dicitur simpliciter necessarium; alia secundum quid qdo scilicet fieri potest res, sed cum multa dificultate. Sic quia homo naturaliter vivere non potest sine respiratione, respiratio dicitur simpliciter necessaria ad vitam; at quia potes tu longam viam ire sine equo licet non commode, sed magno cum labore, equus dicitur secundum quid tibi necessarius ad viam.

Observa preterea 1° sciencias aliquam pose acquiri complete, seu in statu perfecto, qdo scilicet intelectus habet omnes, vel fere omnes conclusiones illius sciencie, v.g. medicine. vel incomplete seu in statu imperfecto, qdo aliquas tantum habet. Observa 2° questionem esse de logica actuali artificiali, non de naturali. Observa 3° non esse questionem de necesitate secundum quid, omnes enim fatemur, ipsa experiencia teste demonstrationes aliarum facultatum, facilius acquiri à logico, quam à non logico. his notatis,

Sit Conclusio. logica non est simpliciter necesaria ad alias sciencias acquirendas in statu perfecto, aut imperfecto. Probatur 1°. logica artificialis non est simpliciter necesaria ad logicam artificialem; sed logica artificialis est sciencia: ergo. Minor est certissima. Major patet; si enim logica artificialis esset necesaria ad logicam artificialem acquirendam, ad habendum illam, que dicitur necesaria, requireretur alia, ad hanc alia, et sic in infinitum.

Probatur 2°. argumento desumpto ex ipsa experiencia. Inventores logice artificialis acquisierunt primas demonstrationes, seu sciencias illius, sine logica artificiali: ergo logica artificialis non est &. Antecedens est certum, deductumque ex divo Thoma, 1ª parte questione 117ª articulo 1° in corpore dicente: Inest unicuique homini quoddam principium sciencie, scilicet lumen intelectus agentis, per quod cognoscuntur statim à principio naturaliter quedam universalia principia omnium scienciarum. Cum autem aliquis hujusmodi universalia principia aplicat ad aliqua particularia, quorum memoriam, et experimentum per sensum accipit, per invencionem propriam acquirit scienciam eorum, que nesciebat, ex notis ad ignota procedens.

70 Probatur 3°. Conclusio deducta ex premissis veris certis, et evidentibus est sciencia; sed talis conclusio potest haberi sine logica artificiali: ergo. Major est ipsa definitio sciencie. Probatur minor. Intelectus sine logica artificiali potest solo lumine nature, evidenter cognoscere (ut asebat divus Thomas loco adducto) quedam universalia principia, v.g. totum est majus sua parte. quando sol oritur dies est. qui debet decem et solvit octo, duo debet adhuc &. sed his principiis instructus intelectus potest solo lumine nature recte inferre has conclusiones: ergo mundus est major sua parte: ergo nunc dies: ergo tu debes adhuc duo, que conclusio-

nes deductæ ex præmissis certis, veris, et evidentibus sunt sciencia: ergo. Res 11
pondent Thomistæ illas conclusiones non esse scienciam, seu scientificas, nisi reflec
xe cognoscatur bonitas illationis, ad quod requiritur logica; intelectus enim si secu
rus non est de illa bonitate, formidat de veritate conclusionis, cum qua formidi=
ne nequit conjungi sciencia, quæ debet excludere omnem formidinem de oposito.
sed contra 1º intelectus asentitur veritati illarum conclusionum per principium in
falibile evidenter cognitum; sed tale principium excludit omnem prudentem for
midinem de oposito: ergo. Contra 2º illæ tres conclusiones non sunt error, quia =
non sunt falsæ; nec sunt opinio, quia non sunt incertæ. non sunt fides, quia
non sunt obscuræ; ergo sunt sciencia, quia sunt veræ, certæ et evidentes. 12
Contra
3º, ut aliquis actus sit error, vel judicium certum, vel opinio non requiritur cognitio
reflexa, qua intelectus cognoscat, se habere tales actus: ergo neq. requiritur cognitio
reflexa, ut illæ tres conclusiones sint sciencia. Nam rogo cum illa cognitione reflex
xa potest intelectus dubitare de bonitate cognitionis reflexæ, vel non? si potest: er
go neq. cum cognitione reflexa erit sciencia; si non potest: ergo neq. poterit sine
cognitione reflexa dubitare. Ratio est, quia veritas illius conclusionis connectitur cum
principiis lumine naturæ notis ex quibus deducitur, quam ergo formidinem de opo
sito poterit habere intelectus cognoscens illam connexionem. Sit exemplum: qui
debet decem, et solvit octo, duo debet adhuc; sed tu debebas decem, et solvisti octo:
ergo duo debes adhuc. Quis intelectus poterit dubitare de veritate hujus conclusio
nis? 13

Sc.º 4.ª adversariorum argumentis respondet.

Arguunt 1º artefactum nequit fieri sine arte, sed demonstratio est artefactum
logicum: ergo nequit fieri sine arte logicæ. Respondeo distinguo majorem; artefactum
nequit fieri artificiose sine arte, concedo; naturaliter, nego majorem, et distinguo mi
norem. demonstratio est artefactum logicum necessario factum ex arte logica dirigente,
nego; necessario habens quod a logica prescribitur, concedo minorem, et nego con
sequentiam. sic propositio facta a rustico est artefactum logicum, constans sub
jecto, copula, et predicato prescriptis a logica expositiva, quin sit facta ab
arte, cum rusticus nullam logicam actualem artificialem habeat. 14
Arguunt 2º
non potest dari sciencia, quin detur cognitio bonitatis consequentiæ; sed
hæc non potest dari sine logica: ergo. major supponitur ab adversariis; mi
nor probatur. Non potest cognosci bonitas consequentiæ, quin cognoscatur, præ
missas esse recte dispositas; sed hoc non potest cognosci sine logica: ergo nec
bonitas. Respondeo distinguo majorem: quin detur cognitio bonitatis consequ
entiæ per regulas logicæ artificiales, nego majorem; per lumen naturæ, seu
per logicam naturalem, concedo majorem, et distincta a contra minori-
nego consequentiam.
Itaq. etiam rusticus solo lumine naturæ instructus, ita

scaxus est de sua sciencia, Vg nunc dies est, ut si interrogaretur, quare= asentitur veritati illius. absq^e mora pro motivo asignaret ortum solis esensialiter conjunctum cum existencia diei; ad hoc enim sufficit logica naturalis, seu naturalem lumen rationis. non cognocet artificium, quo illa conclusio scientifica ex premisis deducitur; sed nihil hominus, veritati illi ita asentietur, ut innumeras suo modulo rationes afferet, quibus id convincat.

6 Arguunt 3º. qui facit scienciam vult facere scienciam: ergo cognoscit scienciam, quia nihil volitum quin precognitum; sed cognitio sciencie est logica; quia habet pro objecto modum sciendi: ergo. respondeo distinguo antecedens; vult facere scienciam conformem regulis logice, nego; conformem objecto, evidenter cognito, concedo antecedens, et nego consequentiam. Axioma nil volitum &c solum debet inteligi de actibus voluntatis, que, utpote ceca, indiget lumine intelectus, ne ceco modo procedat. Vult ergo voluntas facere scienciam conformem objecto, sicuti cum dicit: quando sol ortus dies est, vult facere propositionem veram, non ut conformem logice propositive, quam ignorat, sed ut conformem objecto, ductus infalibili experiencia, qua, orto sole, videt diem.

7 Arguunt 4º. et precipue pro necesitate logice ad acquirendas alias sciencias in statu perfecto. Potest ocurrere ~~[illegible]~~ conclusio ita dificilis, ut intelectus non convincatur de ejus veritate, nisi conclusionem reducat ad modum perfectum prime figure; sed ad hoc est necesaria logica: ergo. Respondeo distinguo majorem sine reductione artificiali, vel naturali, concedo; necesario artificiosa, nego majorem, et minorem in sensu distinctionis. satis enim si conclusionem reducat ad aliquod principium: Vg que sunt eadem &c. quod quidem laborando faciet; dummodo enim enim naturaliter fiat logica non erit simpliciter necesaria.

8 Instant 1º. nequit natura se sola vincere omnes infirmitates. fateor, sed hoc neq^e potest cum medicina; cum homo aliq^do mori debeat. Insuper homo infirmitatibus fit debilior; intelectus vero discurrendo fit fortior, et vegecior. Instant 2º. nequit voluntas sine speciali gracia vitare omnia venialia. fateor etiam si loquatur de impotencia morali; non autem de fisica. Quid inde inferunt? Ocurret certe dificultas maxima in demonstratione aliqua, precipue in longo vite tempore; quam autem homo non sit fisice potens demonstrare studiose conferendo, et se corrigendo, nulla ocurret.

Nota in fine, adduci solere divum Augustinum dicentem. sola logica scientes facere potest; inteligendus tunc est sanctus doctor de sciencia vetlera. Si insuper pro se divum Thomam stare presumant, dicto sanctum doctorem locutum solum fuisse de necesitate secundum quid, non simpliciter tale, ut ex ipsius verbis evidenter constat.

Sect. 5a de causis, influxu, et subalternatione logicæ

Causa multiplex est: alia Phisica, que, per phisicum influxum dat esse Rei, ut Ignis respectu alterius ignis. alia Materialis, ut est subjectum receptivum alicujus forme denominantis. sic paries est causa materialis albedinis. formalis alia intrinseca et constitutiva; et est forma non solum denominans subjectum, sed componens cum ipso per identitatem aliquod totum, respectu cujus dicitur causa. talis est anima rationalis respectu hominis, cum quo identificatur, et quem constituit, et denominat viventem. tandem alia est causa finalis, que est id, cujus gracia aliquid fit: et intencionalis objectiva, de qua egimus ubi de signo.

Jam ergo

Causa phisica logice actualis sunt deus, intelectus, et etiam abitus si adsit, quia hec omnia phisice influunt in logicam actualem. causa phisica logice habitualis sunt deus, intelectus, et regule logice, ex quibus repetitis habitus generatur. Causa materialis utriusque logice est intelectus, quia in illo utraque recipitur. Causa formalis logice nulla est imo ipsa est causa formalis, que denominans intelectum logicum. Causa finalis intrinseca, et objectiva logice, est rectitudo modi sciendi, quem logica intrinsece, et tanquam objectum respicit. finalis est finis, quem sibi quisq. proponit in addiscenda logica.

Circa influxum, et subalternationem dico 1o. logica habitualis phisice influit in actus similes illis, a quibus est generata. 2o logica actualis influit illuminative dirigendo intelectum tam ad actus logice, quam aliarum facultatum, quoniam ad istos instrumenta ministrat nempe modos sciendi, quibus utimur in quacumque facultate, disputando, dividendo, definiendo &c. dico 3o ex doctrina doctoris eximii disputatione 5a metaphisice: logica nulli sciencie subalternatur.

Subalternari inquit preceptor noster est ita dependere ab illa alia, ut sciencia esse non posit, quin conjungatur cum ea, ut ab ipsa sumat evidenciam principiorum. quodsi, ut multi volunt, subalternari idem est ac conducere maxime, et deservire aliis facultatibus, certe logica sciencis omnibus subalternatur; sed ita, ut similiter alie, ut Metafisica, et Arimarthica logice subalternentur in eodem sensu.

Dispº 2ª De Divisionibus Logicae directe agit.

Sectio 1ª Logica speciatim dividitur

Dividitur primo logica in naturalem, quae habetur per solam vim intelectus; in artificialem, quae studio acquiritur; in Infusam, quae habetur Deo infundente eam. dividitur secundo in Actualem, quae est: actus intelectus agens de modo sciendi; et in Habitualem, quae definitur: habitus relictus ā logica actuali juvans intelectum, eumqº facilitat ad logicam actualem. Haec logica habitualis esse potest vel infusa vel acquisita, seu artificialis, ut modo explicabamus; et quae cumqº illa sit est: qualitas dificile movilis, seu clarius: facilitas ad actus vitales supperaddita potentiae, et ab ea dificile mobilis.

25 Nota diligenter, habitum acquisitum ex repetitione actuum solum facilitare, et adjuvare intelectum ad actus similes illis, ā quibus ipse est genitus, non vero ad alios licet logici sint. En exemplum habitus productus in intelectu ex repetitione hujus actus: propositio est modus sciendi, facilitat seu adjuvat ad hos actus: propositio est modus sciendi manifestativus; propositio est artefactum logicum: propositio est cognitio cum isti actus eodem modo representent objectum, ac actus ille, ā cujus repeticione habitus dicitur generatus.

26 Dividitur 3º in assentientem, seu dantem regulas afirmativas, ut haec: propositio debet constare subjecto &; et in dissentientem, seu dantem regulas negativas, ut iste actus. definitio non debet habere aliquid diminutum, aut supperfluum. dividitur 4º in practicam, quae: dirigit ad electionem modi sciendi; et in speculativam, quae sistit in contemplatione modi sciendi; dividitur 5º in Docentem, ut sunt regulae logicae dirigentes; et in utentem, quae consistit in usu ipsarum regularum. Dividitur 6º in formalem, quae est ipsa logica et Objectivam quae est objectum logicae. tandem in Angelicam, seu quae est in Angelo, et in Humanam, seu quae est in homine.

27 Objicies 1º contra divisionem logicae in actualem, et habitualem. nullus habitus agit de modo sciendi; quia nullus habitus agit; sed quod non agit de modo sciendi non est logica: ergo male dividitur in actualem, et habitualem. Respondeo distinguo majorem: nullus habitus agit formaliter de modo sciendi, concedo habitualiter, facilitando ad modum sciendi Nego majorem, et in eodem sensu distincta minori, nego consequentiam.

28 Objicies 2º

Contra 5ᵐ divisionem: ergo logica docens non distinguitur ā logica utente: nam idem actus nunc est logica docens, nunc logica utens. Respondeo, distinguo ma

deguate, non vero adequate; logica enim utens est conjunctum ex logica, et modo sciendi; et logica docens est etiam conjunctum ex eadem logica, et carentia modi sciendi. Quare distinguuntur inter se sicut homo deambulans distinguitur à se ipso non deambulante.

Nota in fine 1°, nos non divisisse logicam ita, ut illam in deo inveniremus; cum enim hec ordinata sit ad perficiendum intelectus actus, quo pacto in deo inveniri poterit, cujus cognitio à deo perfecta est, ut perfici ulterius minime posit. ideo qui logicam deo attribuunt, adhuc respectu nostrorum actuum, talem logicam confingunt, ut omnibus logice qualitatibus exutam proponant. huic tamen questioni, que tota est de nomine, commodius valedicimus.

Nota 2° solere hic disputari à recentioribus non paucis: an logica angelica, et humana diferant specie logica, hoc est, importent artificium logicum diversum? tu pro certo habeas idem artificium prescribi à logica, vg. definitiva angelica, et à logica definitiva humana, et similiter de aliis discursus. diferunt tamen specie phisica, quia cognitio angelica est independens à sensibus, et notabiliter clarior cognitione humana; sed hec predicata cum nullo modo pertineant ad logicam non faciunt illas diversas specie formali, et logica.

Rem explico exemplo luce meridiana clariori. clavis, quecumque illa sit habet artificium proprium, et peculiare pertinens ad facultatem stabilem determinatam. igitur si sit aurea, vel argentea multo preciosior erit, quam si sit ferrea: artificium vero idem erit omnino. sic cognitio angelica est perfectior humana; artificium vero logicum propositionis angelice et sic de reliquis, erit omnino idem ac artificium logicum propositionis humane, quia logica non curat de majori, vel minori perfectione cognitionis, sed de recta dispositione terminorum, juxta naturam que facti.

Sectio 2ª de divisione logica in practicam et speculativam.

Cognitio practica uti etiam speculativa dupliciter sumi potest, scilicet intrinsece, et extrinsece. Cognitio intrinsece practica est: Cognitio dirigens ad efectionem sui objecti: Cognitio vero intrinsece speculativa est: Cognitio sistens in contemplatione sui objecti. Sistere est non proponere modum, quo objectum fieri debeat. unde vides eandem cognitionem non posse esse practicam intrinsece, et intrinsece speculativam respectu ejusdem objecti. in quo sensu ait Aristoteles loquens de sciencia: speculativa finis veritas; pratice autem opus.

Extrinsece vero practica dicitur facultas illa que à prudentibus viris addicitur propter efectionem operis, et extrinsece speculativa est illa que sive sit intrinsece practica, sive intrinsece speculativa, addiscitur à prudentibus propter jucundam illius facultatis no-

ticiam. sic theologia, que tota est in contemplandis divinis perfectionibus et atributis, dicitur extrinsece speculativa; quia ille est finis, quem si bi quisque proponit. logica vero, quia addiscitur propter efectionem modi sci endi, ad quem ipsa dirigit, extrinsece, et denominative dicenda est absolu te practica. an vero sit intrinsece practica vel speculativa?

Sit 1.ª Con-
clusio. logica est partim intrinsece practica. est communis sentencia nostrorum cum eximio disputatione 44.ª sectione decima 3.ª numero 51.º contra scotistas, et thomistas. probatur 1.º authoritate divi thome 1.º posteriorum lectione 41.ª dicentis: in practicis sciencis intenditur quasi finis constructio ipsius subjecti; atqui in logica intenditur quasi finis constructio modi sciendi pluribus regulis: ergo secum has regulas est practica: ergo.

15 Probatur 2.º conclusio ratione fundamentali. actus in trinsece dirigens ad efectionem objecti est intrinsece practicus; sed isti actus logice: definitio debet constare genere, et diferentia: proposi tio debet constare subjecto &. intrinsece dirigunt ad efectionem sui ob jecti: ergo. roboratur paritate. ideo regule prudentie ad amorem di rigentes sunt practice, quia prescribunt modum, quo amor eficien dus est: sed actus logici predicti prescribunt modum, quo facienda est propositio, et formanda definitio: ergo. quocumque modo respondeant thomiste urgebis semper paritate prudentie, que ab ipsis admittitur practica, et tamen sepe dirigit ad actus intelectus, fidei, orationis &.

Sit 2.ª conclusio logica est partim intrinsece speculativa. probatur. actus speculativus est, qui unice sistit in contemplatione objecti; sed hi ac tus: definitio est modus sciendi explicans esenciam rei: propositio: petrus est homo constat subjecto, copula, et predicato, sistunt in contemplatione sui objecti, ita ut ad illius efectionem non dirigant: ergo logica secundum hos actus est speculativa: ergo. respondet noster arriaga hos actus esse equivalenter practicos. sed contra: tales actus nec equivalenter re presentant objectum factibile, et modo factibili: ergo nec equivalenter sunt practici.

Respondent alii, tales actus non esse logicos, quia sunt omnino inutiles ad efectionem modi sciendi. contra tercium. tales actus sunt fa cultas habens pro objecto modum sciendi: ergo sunt actus logici, licet ob jectum sit infactibile. sicut sunt actus vere theologici isti: deus est unus in esencia et trinus in persons: deus est ~~[illegible]~~ omniscius, li cet eorum objectum sit omnino infactibile.

Objicies 1.º contra 1.am conclu
sionem. omnis actus intelectus est speculativo; sed nulla speculatio potest esse praxis: ergo nullus actus intelectus potest esse praxis. ergo neque logica dirigens actus intelectus poterit esse partim practica. respondeo, fal-

samesse majorem, falsam etiam minorem argumenti. Major, inquam, quia speculatio idem est ac cognitio speculativa, et falsissimum est omnem actum intelectus esse cognitionem speculativam. Minor est falsa, quia praxis, et speculatio nullo ex capite oponuntur, maxime respectu diversorum. Oponuntur quidem in eodem actu, vel habitu, respectu ejusdem objecti, quia implicat simul sistere, et non sistere in ejusdem objecti contemplatione.

Objicies 2°. Scientia, cujus finis est veritas, est speculativa; sed finis logicæ est veritas: ergo logica est solum speculativa. Respondeo distinguo antecedens, cujus finis est veritas de objecto proprio, concedo; de objecto alieno, subdistinguo: veritas pure speculabilis, concedo majorem vel omitto; veritas, ut artificiose operabilis, nego majorem, et in eodem sensu minorem et consequentiam. Logicæ finis est quidem veritas non autem solum veritas speculabilis, seu speculatio veritatis; habet enim logica actus quamplurimos, ut sunt regulæ omnes dirigentes ad efectionem modi sciendi rene talis.

Objicies 3°. facultas, quæ tendit in objectum pure, ut sciatur est solum speculativa; sed logica sic tendit: ergo. Respondeo nego minorem. Logica tendit ita in objectum, ut scientia illa comparetur; modus autem, quo tendit non est pure speculando, sed partim speculando, partim dirigendo. Ex unitate objecti male infertur unitas mediorum; quis enim non videat plura, et diversa esse media, quæ ad eumdem finem conspirent. His argumentis impugnatur pariter secunda conclusio, et eisdem responsionibus fit satis illis. 5

Pro aliis solvendis nota tribui solere Aristoteli hanc authoritatem, libro 3°. de anima, textu 49 vel 50°. intelectus extensione fit practicus. Verba autem hæc minime apud ipsum inveniuntur locis citatis; dici deinde potest, jam fieri practicum extensione, cum ab uno ad alium actum se extendit, a cognitione v.g. seu regula dirigente ad aliam cognitionem directam. Nota etiam, et meminisse juvabit, quoties cumque loquatur de fine, ratione ob quam, et similibus expresionibus ad dicitur logica, intelligendum esse de practico, vel speculativo extrinseco, non vero intrinseco, de quo est questio presens.

§ 3.us De divisione logicæ in actualem et habitualem

Scholæ omnes in eo conveniunt, quod logica actualis sit agregatum ex omnibus regulis agentibus de divisione, definitione, propositione, et argumentatione, et quod istæ regulæ, et modi sciendi sint inter se specie distincti. Thomistæ vero, et alii, propugnant ex his actibus logicæ, specie distinctis exigi unicum habitum, qui sufficit ad omnes species modi sciendi v.g. ex hac regula sepius repetita: propositio debet constare subjecto &, exigi habitum, qui non modo facilitet ad actus logicæ propositivæ, sed ad quorumcumque logicæ, definitivæ, et ceterarum. In hoc disidens Thomistæ ab scotistis, et jesuitis cum quibus—

Sit 3.a Conclusio logica habitualis non est una simplex qualitas, sed multiplex specie habitus. Loquimur de logica habituali acquisita, quae cum sit qualitas emortua proprie non habet objectum: habet vero improprie, quatenus facilitat ad actum habentem suum objectum. Probatur 1.o duplici testimonio divi Thomae prima 2.ae quaestione 54 articulo 1.o ad primum. diversitas objectorum secundum speciem facit diversitatem actuum secundum speciem, ac per consequens habituum; sed in logica sunt plura objecta diversa secundum speciem, ut patet in propositiva divisiva &: ergo etiam actus sunt diversi secundum speciem, ac per consequens habitus sunt specie diversi.

Idem Doctor angelicus ibi articulo 2.o ait: secundum tria habitus specie distinguuntur, uno quidem secundum principia activa talium dispositionum; alio vero modo secundum naturam: 3.o vero modo secundum objecta specie diversa; sed habitus logicae distinguuntur 1.o modo, quia a diversis principiis oriuntur; secundo quia natura unius ab alterius natura distinguitur. 3.o quia objecta actuum definitivorum v.g. sunt specie diversa ab objecto actuum propositivorum. ergo sunt actus specie distincti: ergo logica non est una simplex qualitas.

55 Respondent thomistae hanc diversitatem esse materialem, seu in esse entis, aut in denominatione definiti, divisi &; minime vero esse diversitatem specificam, formalem, et in esse modi sciendi vel scibilis; quia in his omnes illi habitus conveniunt tanquam in ratione formali, sub qua attinguntur a logica. Contra 1.o ergo omnes habitus scientiarum sunt una simplex qualitas. Probatur absurdum. ideo omnes habitus logicae per vos sunt una simplex qualitas quia eorum objecta conveniunt in ratione sub qua modi sciendi; sed objecta omnium scientiarum conveniunt in una ratione sub qua scibilis: ergo.

56 Respondent iterum, omnes scientias v.g. medicinam, mathesim attingere sua objecta sub eadem ratione generica, non vero specifica, quia objectum medicinae est corpus sanabile, objectum vero matheseos est corpus quantum. Contra 1.o atqui logica definitiva, et divisiva attingunt sua objecta sub eadem ratione generica modi sciendi, non vero sub ratione specifica, quia uterque modus sciendi est specie diversus: ergo habitus ab illis actibus relicti sunt specie diversi. si dicant thomistae, distinctionem scientiarum [illegible] una [illegible] non [illegible] [illegible] desumi a diversa abstractione a materia, quae eadem est in omnibus actibus logicae, nempe abstractio negativa consistens in ente rationis. infero sic ergo metaphisica et theologica est simplex habitus facilitans ad actus utriusque.

57 Probatur absurdum per vos actus metaphisicae, et theologiae attingunt sua objecta sub eadem abstractione a materia; sed per vos ex actibus sic attingentibus generatur simplex habitus: ergo. dabunt thomistae disparitatem, et dicent, regni habitus specie diversos, quia actus nituntur diversis principiis. contra etiam

sed in logica sunt actus tendentes principiis specie diversis. Ex: definitivum explicat esentiam rei: argumentativum infert unum ex alio, qui utuntur in his principiis: explicatio debet esse clarior re explicata: que sunt idem cum uno tertio &: ergo.

Probatur 3.º Conclusio. habitus scientificus silogisandi est realiter entitative componibilis cum habitu erroneo definiendi: sed habitus erroneus definiendi non est esentialiter componibilis cum habitu scientifico definiendi: ergo habitus scientificus definiendi non est habitus scientificus silogisandi. major est certa, quia petrus potest habere habitum scientificum silogisandi et post acquirere habitum erroneum definiendi; ergo potest ille habitus cum hoc conjungi: minor constat, quia habitus scientificus, et erroneus circa eandem speciem repugnat; sequitur consequentia, quia habitus alter est componibilis cum uno tertio, cum quo non est componibilis alter habitus, scilicet habitus silogisandi est componibilis cum habitu erroneo definiendi, cum quo non est componibilis habitus scientificus definiendi: ergo sunt habitus specie diversi

Probatur 4.º ergo saltem isti actus. propositivum est enuntians aliquid de aliquo: argumentativum est inferens unum ex alio, generant habitus specie diversos. probatur consequentia. habitus geniti ex actibus attingentibus objectum sub ratione specifica sunt specie diversi: sed tales sunt isti actus: ergo. Probatur minor. actus attingentes solas differentias modi sciendi, attingunt objecta sub diversa ratione specifica, sicut attingentes solum genus modi sciendi, attingunt objectum sub eadem ratione generica: sed isti actus attingunt solas diferencias modi sciendi: ergo saltem habitus ex his actibus geniti sunt specie diversi.

Probatur 5.º ab absurdis 1.º: ergo qui habet habitum logice propositive totam logicam habet, quantam qui habet habitum logice propositive, definitive, &. 2.º ergo antequam Aristoteles inveniret logicam silogisticam, illi, qui habebant logicam habitualem definitivam, jam habebant eam. 3.º quia eadem ratione poemus dicere, semen olee virtutem habere ad producendum quercum pirum pose producere pomam, oleastrum uvas, et sic de aliis, nam ut ait Aristoteles actus sunt semen habituum. hinc minime miror Celebrem thomistam illustrisimum angelum Manriquez professorem primarium Salmaticensem dixisse: ab hinc annis triginta doceo, et habeo mei ingenii experimenta publico testimonio firmata, et tamen hanc opinionem non intelligo.

§ quarta solvit argumenta contraria.

Objicitur 1.º omnis perfectio proportionatur cum suo perfectibili, sed logica est perfectio intellectus: ergo cum illo proportionatur. sed intellectus est simplex qualitas: ergo etiam logica. et quare non inferunt thomiste: ergo omnium scienciarum habitus sunt simplex qualitas? respondeo distinguo majorem, proporcionatur in aliquibus concedo; in omnibus, nego majorem, et suppositum 2.º minoris; intellectus enim non est qualitas, nec accidens, sed substan

cia spiritualis, cumque logica proportionatur in eo, quod sit forma se linea intelectiva, non vero in aliis, quia intelectus non est habitus &c.

62 Objicium 12°. habitus infusus fidei ad actus specie distinctos, nempe ad asensum trinitatis, et incarnationis est simplex qualitas: ergo logica habitualis licet sit ad actus specie distinctos, erit etiam simplex qualitas. Concedo antecedens et nego consequentiam. disparitas est, quia habitus infusus se habet per modum potenciæ, est enim comprincipium elevans intelectum, ut producat actus fidei supernaturales: logica vero habitualis est facilitas, et semen relictum ex repeticione actuum. sic intelectus cum sit unus se extendit ad actus omnium sciencarum; habitus autem acquisitus limitatur ad actus ex quorum repeticione est genitus.

63 Objicient 13°. actus numero distincti non generant habitum numero distinctum: ergo neg.e actus specie distincti generant habitum specie distinctum. insto argumentum: ergo neg.e sciencie specie diverse generant habitum specie diversum? respondeo nego antecedens; licet enim actus numero distinctus non generet habitum numero distinctum moraliter, quia idem moraliter habitus censetur; generat numero distinctum phisice, hoc est novum gradum facilitatis, quem certe experiuntur illi, qui frequentius se exercent in repetendis regulis logicæ.

64 Objicies 14°. unitas principiorum non infert unitatem habituum: ergo neg.e diversitas principiorum diversitatem habituum. respondeo distinguo antecedens; si principia sint semen, unde generantur habitus, nego antecedens; si non sit tale semen, transeat antecedens, et nego consequentiam. Deus certe est principium unicum pure phisicum, et potest infundere intelectui plures habitus specie distinctos, vel unicum, qui sufficiat ad omnes actus omnium sciencarum; sed de habitu sic infuso non est questio. quod si vellet Deus infundere habitualem logicam, qualis generatur ex repetitione actuum specie diversorum, tunc infunderet logicam, que non esset simplex, sed multiplex specie habitus.

65 Pro aliis solvendis nota 1° habitum definitivum posse conjungi cum dificultate ad definiendum v.g. rosam, magnetem non quidem ex defectu instructionis regularum; sed ex defectu notitiæ conceptus generici, et specifici rose, magnetis &c. 2° duplicem esse habitum silogismorum (idem dic de aliis) alium ortum ex regulis silogisandi, alium ex exercicio faciendi silogismos. primus est habitus logicus, quia est de modo sciendi; secundus erit illius sciencie, ad quam pertineat materia silogismorum. 3° logicam habitualem definitivam v.g. dici facilitatem ad definiendum non immediate, sed mediate, quatenus facilitat ad regulas definitivas, quas suggerit intelectui.

66 Quæres in fine: quotuplex

sit unitas? Respondeo 1am esse transcendentalem, qua quodlibet ens est unum determinatum, et non aliud. Secundam esse simplicitatis, que solum reperitur in rebus indivisibilibus partium carentibus, ut Deus, Angelus, anima rationalis. 3m esse phisice compositionis, ut sunt ea, que componuntur ex partibus phisice distinctis, et unitis, ut homo. 4am esse ordinis, seu agregationis, sic exercitus dicitur unus, et in hoc sensu una dicitur logica tam actualis quam habitualis; quia licet sint specie diversi actus, et habitus in unum tamen coalescunt, et ordinantur ad eundem finem proximum, nempe mo 67
dum sciendi.

Atq.e in eodem sensu unam apellavit logicam Doctor Angelicus, cum prima secunde questione 54a art. habitus cum sit qualitas quedam, est forma simplex. Et ibidem: cum quis acquirit per aliquam demonstrationem scienciam conclusionis alterius non generatur in eo novus habitus, sed habitus, qui in eo erat fit perfectior, ut pote ad plura se extendens, quod unius sciencie conclusiones ordinate sint, et una inferatur ex alia. Adverte ly ordinate, ut scias sensum, in quo unam apellabit logicam divus Thomas in his, et aliis textibus, qui adducuntur. Unitas tandem precisionis est conceptus quo plura aparent presisa a diferenciis, ut om 68
nia animalia sub conceptu animal.

Disputatio 3a De objecto Logice in communi, et in particulari

Objectum cujuslibet facultatis est res illa, quam facultas sibi tractandam proponit; ideo Deus dicitur objectum theologie, que tota est in indagandis divinis atributis. et sic de aliis, que pertinent vel ad intelectum vel ad voluntatem, discurrendum est. hac de causa definiri solet objetum: terminus, quem potencia per suos actus intencionaliter atingit. Quoniam vero valet potencia rem atingere ratione sui, et ratione alterius dividitur objectum in materiale, et formale. materiale est: terminus quem potencia atingit ratione alterius: formale vero est: terminus qu
em potencia atingit ratione sui. 6

Exemplum habes in Medicina, cujus objectum materiale est corpus humanum; objectum vero formale, finis aut ratio, propter quam de illo agit, est sanitas reddenda corpori humano, si infirmum sit, et conservanda, si sit sanum. Sic etiam objectum materiale potencie visive, v.g. sunt res omnes, que videri possunt; objectum vero formale, seu ratio propter quam videntur est color. hec objecta dicuntur immediata, remota, directa, indirecta, per se, et per accidens, juxta modum,

quo a potencia atinguntur, vel proxime, vel remote, directe, aut per se, indirecte, vel per accidens. Mitto alias divisiones, quae necessariae non sunt, et nolo vos implicare novis terminis. Haec divisio habetur apud eximium disputatione 1A sectione 13.

Sec. 4. Nra sententia de objecto logicae

70 Sit prima conclusio. Objectum formale logicae practicae est rectitudo modi sciendi. Probatur. Id est objectum formale logicae practicae, quod illa atingit ratione sui; sed logica practica atingit ratione sui rectitudinem modi sciendi: ergo. Major constat ex definitione objecti formalis; minor probatur. Logica practica atingit omnem modum sciendi ratione artificii; sed hoc artificium est rectitudo: ergo atingit ratione rectitudinis; sed hanc rectitudinem non atingit ratione alterius: ergo atingit ratione sui. Major probationis est indubitata, quia illa logica solum intendit proponere, et dirigere ad artificium, quo debet constare quilibet modus sciendi, et in quo consistit rectitudo illius, et hanc rectitudinem atingit, quia rectitudo est, atque adeo ratione sui atingit.

71 Sit secunda conclusio. Objectum materiale logicae practicae sunt omnes, et solae species modi sciendi. Probatur. Id est objectum materiale logicae practicae, quod ab illa atingitur ratione alterius; sed omnes, et solae species modi sciendi atinguntur a logica ratione alterius: ergo. Major est definitio objecti materialis. Minor probatur omnes, et solae species modi sciendi atinguntur a logica practica ratione rectitudinis, seu objecti formalis: ergo atinguntur ratione alterius. Antecedens constat, quia logica practica eatenus atingit propositiones, divisiones &, quatenus habent rectitudinem, vel artificium ab ipsa praescriptum: ergo illos atingit ratione rectitudinis.

72 Sit 3a conclusio. Objectum praecipuum logicae est demonstratio. Probatur. Id terminus perfectior quem facultas atingit est objectum praecipuum illius facultatis, sed demonstratio est terminus perfectior, quem logica atingit: ergo. Probatur minor primo, quia sola demonstratio generat scienciam, cum sit conclusio vera, certa, et evidens, deducta &. 2° quia est aptior ad acquirendas alias sciencias. 3° quia tendit in objectum clariori modo, ex qua majori claritate sequi debet major perfectio modi sciendi; sed nulla species modi sciendi clariori modo tendit in objectum, quam demonstratio: ergo.

73 Sit 4a conclusio. Objectum atributionis logicae est agregatum ex omnibus speciebus modi sciendi. Probatur tale objectum est illud: cui omnia objecta facultatis tribuuntur, tamquam partes toti: sed tale est agregatum ex omnibus speciebus modi sciendi: ergo. Probatur major paritate. Objectum atributionis metaphisicae, phisicae et ethicae, non est una, vel alia species entis realis, naturalis, moralis, sed agregatum ex omni ente reali, naturali, et morali: ergo pariter &.

74

Arguunt contra 3.am conclusionem: ergo objectum materiale, et formale logicæ non distinguuntur realiter: sed hoc est absurdum. Probatur hæc minor: eadem res attingeretur ratione veri, quia esset objectum formale, et attingeretur ratione alterius, quia esset objectum materiale: sed implicat eandem rem sic attingi: ergo. Respondeo nego primam minorem, ad hujus probationem distinguo minorem implicat eandem rem sic attingi sub eodem conceptu concedo; sub diversis conceptibus nego minorem, et consequentiam. 75

Itaque rectitudo cujuslibet artefacti logici idem est realiter cum ipso artefacto: sicut in simili artificium statuæ, idem est realiter cum statua; at sicut statuaria respicit et attingit statuam ratione artificii, ita logica practica attingit modum sciendi ratione rectitudinis, et ipsam rectitudinem non attingit ratione alterius, sed ratione sui. hinc est, quod idem realiter objectum potest attingi ratione sui, si uno modo seu sub uno conceptu consideretur; et ratione alterius, si alio modo, vel diverso sub conceptu proponatur. Sic idem actus intellectus attingitur ab Animastica sub conceptu actus vitalis; et sub conceptu modi sciendi non attingitur ab Animastica, sed a logica.

Instas. Objectum formale debet introduci in materiale; sed nihil introducitur in se ipsum: ergo debet distingui realiter. Respondeo distinguo majorem: debet introduci introductione phisica, nego majorem; metaphisica, concedo majorem, et distincta e contra minori nego consequentiam. Introductio phisica dicit ex conceptu suo productionem formæ in subjecto realiter distincto; ideoque nequit stare hæc introductio sine distinctione reali. Introductio vero metaphisica est productio formæ in subjecto tantum diversimode repræsentato quia hoc sufficit ut illa forma introducatur in hoc sensu: similiter objectum illud debet præsupponi non realiter, sed formaliter. 76

Nota, nos hactenus locutos de objecto materiali, et formali logicæ practicæ; logica enim speculativa habet pro objecto formali contemplationem illius rectitudinis, et pro materiali contemplationem modi sciendi, ut diximus, q.de naturam logicæ speculativæ explicuimus. Diversum alii ponunt objectum materiale, et formale logicæ, et ita, ut teste Mo Linceo, plusquam 20 sententiæ hac in quæstione numerentur. abundent isti in sensu suo, nobis satis est cum primis philosophis sentire, nec opus est in his diutius immorari, cum earum veritas in rejectione aliarum sententiarum clarius innotescat. 77

Sec.o 2a Thomistarum sententia de objecto logicæ proponitur, et rejicitur

Longum nimis vobisque pro nunc inutile foret, explicare totam doctrinam Thomistarum circa suum ens rationis fictum, quod instituunt objectum formale logicæ, cum ejus essentia suum habeat locum in Metaphisica. Breviter accipite sensum Thomistarum, ut eos impugnare, et quantum fas sit 78

inteligere poriti. Duplex igitur distinguitur ens rationis; aliud efectivum quod a ratione, vel intelectu eficitur, in quo sensu omnis cognitio est ens rationis, et quidem reale, cum veram habeat esenciam. Aliud est ens rationis objectivum, quod tantum habet esse objective in intelectu, hoc est, quod nullum aliud habet esse, preter esse cognitum ab intelectu.

Hoc ens ita fictu dicitur rationis ratiocinantis, quando intelectus fingit sine fundamento, vg. qdo cognoscit, petrum esse lapidem; et dicitur rationis ratiocinate, qdo licet fingat habet tamen aliquod fundamentum sumptum ex rebus ipsis,
79 vg. qdo cognoscit animal distinctum a rationali. De hoc ente rationis docent thomiste, esse objectum formale logice; scilicet formam fictam resultantem ex actibus intelectus, in quibus recipitur intrinsece, ut volunt aliqui et ut alii censent, recipitur in objectis, que ratione illius forme denominantur vg. genus, definitum, &. Contra hos

80 Arguo 1.º cum Doctore eximio dispitatione 54. Objectum formale logice est finis logice; sed finis logice non est ens rationis fictum: ergo. Probatur minor. finis logice est dirigere, ut artificiose fiant actus intelectus, quibus sciencia comparatur; sed neq. actus intelectus, neq.e sciencia, neq.e illa directio sunt ens rationis fictum: ergo. Respondent thomiste, finem logice esse secundas intenciones objectivas, hoc est denominatione generis, definiti &. que sunt entia ficta. Revoca in memoriam, que diximus in sumulis numero 65 de termino primo intencionaliter, et secundo intencionaliter, et scito, primam intencionem objectivam esse objectum prime intencionis formalis, et secundam intencionem objectivam esse objectum secunde intencionis formalis. Nunc

81 Contra 1.º objectum formale logice non consistit in illis denominationibus, sed in rectitudine actus: ergo. probatur paritate. Objectum formale pictorie non consistit in denominatione picti; sed in recta dispositione colorum, et partium: ergo pariter. Contra 2.º ille denominationes genus, definitum non sunt ens fictum: ergo si ille sunt objectum formale logice, tale objectum non est ens rationis fictu. Antecedens est expresse divi thome opusculo 42 dicentis: Cum autem formatio generis, et speciei que est actio intelectus non sit ficticia &. ergo.

Arguo 2.º

Per eamdem formam, per quam intelectus denominatur cognoscens, et definiens, objectum denominatur cognitum, et definitum: atqui denominatio cognoscentis,
82 et definientis non stat in ente rationis ficto, sed in vera definitione, et cognitione: ergo. Respondent thomiste: per formam, per quam intelectus denominatur definiens, et cognoscens non denominatur objectum definitum, nisi solum fundamentaliter, realiter, et in fieri; non vero formaliter, et in facto esse, ad quod requiritur forma ficta resultans, et in objecto intrinsece recepta.

83 Explicat responsionem Illustrissimus Palanco exemplo dealbantis parietem, qui constituitur dealbans

per accionem aplicantem albedinem; paries vero per talem accionem non constituitur formaliter, et in facto esse dealbatus, sed solum in fieri, quia denominatio dealbati provenit formaliter ab albedine et non ab accione qua aplicatur. Optima responsio, si accio dealbantis esset albedo, sicut accio definientis est definitio, et actio cognoscentis est cognitio: cum vero accio dealbantis non sit albedo, mirum non est, quod non denominet parietem album, in facto esse; et certe mirum est, quod actio cognoscendi cum sit cognitio, et actio definiendi definitio, non denominet objectum cognitum, et definitum in facto esse. 84

Contra, et insto a paritate. Per eamdem accionem, per quam voluntas amat objectum voluntas denominatur amans, et objectum amatum formaliter, et in facto esse: ergo pariter per eamdem cognitionem, definitionem, per quam intelectus denominatur cognoscens, definiens, objectum denominatur cognitum, definitum: ergo ad hanc denominationem superfluit ens rationis fictum. Insta semper hac paritate indissolubili, et clara; amor absq. alio superadditio denominat subjectum amans, et objectum amatum: ergo pariter definitio absq. alio superadditio debet denominare intelectum definientem, et objectum definitum. Quid igitur faciemus de ente rationis ficto?

Sectio tertia audiuntur thomiste

Objiciunt 1.º thomiste authoritatem divi thome 5.º Metaphisice, lectione 1.ª dicentis: ens est duplex, ens scilicet rationis, et ens nature. Ens autem rationis proprie dicitur de illis intencionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, et speciei, que quidem non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur; et hujusmodi ens rationis est proprie subjectum logice. Rogo, ubi loquitur divus thomas de ente rationis ficto? Respondeo ergo admitto authoritatem et explico mentem doctoris angelici. 85

Loquitur ergo de ente non ficto, sed reali subjectivo, et efective, quales est cognitio, et ait 1.º non esse ens nature, quia ens nature est independens ab intelectu. 2.º inveniri in rebus consideratis, hoc est extrinsece ut alie denominationes. 3.º non inveniri in rerum natura, hoc est independenter ab intelectu. 4.º consequi considerationem rationis, hoc est ex illa consurgere, et constitui. Displicet ne thomistis hec explicatio? etiam nobis displicet explicatio thomistarum, et displicuit illustrissimo, atq. illustrissimo Caramueli, qui ait thomiste tunc putant se bene exponere angelicum doctorem, cum durius dificiliusq.; et tametsi ipsemet protestetur contrarium, entia ens rationis esse objectum logice, afirmant. 86

Objiciunt 2.º denominatio definiti, divisi est objectum formale logice; sed hec denominatio est ens rationis fictum: ergo. Permitto majorem, falsissimam ex dictis de objecto formali logice, et nego minorem. Probant. Talis denominatio in primis est ens rationis, sive definiatur, cum non sit in rerum natura: ergo. Respondeo talem denomi- 87

rationem esse quidem ens rationis, non vero fictum, sed reale, reale inquam, quia consistit in cognitione, et in re definita, et utrumque est ens reale; quare objectum denominatum definitum, divisum per definitionem, et divisionem quæ cum sint cognitio, absdubio sunt ens reale.

38 Objiciunt 3° hæc definitio animal rationale est forma denominans hominem definitum; sed est ens rationis fictum: ergo. probatur minor. hæc definitio præscindit, et abstrahit hominem a differenciis individualibus v.g. Petro Paulo &; sed hæc præsicio et abstractio est ens rationis fictum: ergo. Respondeo concessa majori, nego minorem, et ad illius probationem distinguo majorem; præscindit, et abstrahit formaliter & concedo; realiter, nego majorem, minorem, et consequentiam. illa cognitio certe abstrahit hominem et illum præscindit a differenciis individualibus, nempe petreitatem &; præscindit inquam formaliter, quia formaliter illas non dicit, sed hæc præscisio, et abstratio non est quid fictum seu fabuum, juxta axioma illud: præscindentium non est mendatium, neque abstraentium fictio.

Ut alia solvas nota 1°. res a parte rei nec est genus, nec definitum, quia hoc esse provenit illis ab intelectu non quidem fingente sed vere cognoscente. 2° Deo repugnat cognitio præscisiva, quia Deus omnes res perfectissime comprehendit ideoque omnes cognoscit omni modo, quo illæ sunt cognoscibiles. 3° logica ex Aristotele, et Divo Thoma extenditur ad omnes res solum mediate, quatenus attingit omnes res mediis actibus intelectus, qui actus omnibus rebus convenire possunt, et eis præbere denominationem extrinsecam constituendo secundas intenciones in concreto. Supersedeo alia argumenta thomistarum, vel quia ex horum solutione intelligi possunt, vel quia superiores noticias postulant.

Sectio quarta de conceptibus pure objectivis

Conceptus objectivus idem est, quam objectum cognitionis, seu conceptus. Si est objectum alicujus modi sciendi et simul est modus sciendi, dicitur conceptus objectivus non pure talis: si vero est objectum alicujus modi sciendi, et nec est, nec potest esse modus sciendi erit pure objectivus in hoc sensu vocantur conceptus objectivi entia v.g. definita, divisa &, et de iis, quæritur an sint objectum materiale proximum logicæ? Affirmant thomistæ, negant nostri communiter, cum quibus et nos dicimus: conceptus pure objectivus non est objectum materiale proximum logicæ.

Probatur conclusio 1° id est objectum materiale proximum logicæ, quod est capax objecti formalis logicæ; sed conceptus pure objectivus non est capax objecti formalis logicæ: ergo. major videtur certa, quia objectum materiale attingitur ratione objecti formalis; ut igitur attingatur sic debet esse capax illius. Minor probatur. Objectum formale logicæ est rectitudo modi sciendi: sed conceptus pure objectivus non est capax rectitudinis modi sciendi: ergo. hæc major constat ex supra dictis;-

minor probatur; quod non potest intrinsece constituere modum sciendi non est capax rectitudinis modi sciendi; sed conceptus pure objectivus non potest intrinsece constituere modum sciendi: ergo. Respondent thomistae conceptus objectivos esse modum sciendi objectivum.

Contra, esse modum sciendi objectivum est esse objectum modi sciendi; sed esse objectum modi sciendi non est esse modum sciendi: ergo. Probatur paritate quia objectum visionis et amoris non sunt visio et amor: ergo objectum modi sciendi non est esse modum sciendi. Respondent alii, ut conceptus objectivus sit objectum materiale proximum logicae, sufficit, quod possit disponi cum artificio definitionis, generis subjecti &, et quod accipiat denominationem definiti &. Contra ad hominem. Per vos licet voces disponi possint cum artificio definitionis & non sunt objectum per se logicae, quia non sunt capaces rectitudinis modi sciendi; sed per vos neg. conceptus objectivus est capax hujus rectitudinis: ergo.

Probatur 2a conclusio. Quod immediate non attingitur a logica non est objectum materiale proximum logicae; sed non sic attingitur conceptus objectivus: ergo. Probatur minor paritate efficaci. Petrus pictus non attingitur immediate a pictoria; ergo neg. conceptus objectivus a logica. Probatur consequentia, et urgetur paritas. Sicut pictoria disponit colores, ut representent petrum pictum, ita logica disponit cognitiones, ut denominent petrum definitum: atqui per vos petrus pictus non attingitur immediate, et per se a pictoria: ergo neg. & Subsumo: sed petrus definitus est conceptus pure objectivus: ergo. Ista semper hac paritate: pictoria enim solum agit de recta dispositione colorum, non de objectis pictis, et sic logica de recta dispositione cognitionum, non de objectis cognitis.

Arguunt 1o thomistae definitum est concretum dicens pro forma definitionem, et pro materia objectum; sed penes formam est objectum formale: ergo penes materiam est objectum materiale. Isto argumentum: pictum est concretum dicens pro forma rectam dispositionem colorum, et pro materia objectum: ergo si penes rectam colorum dispositionem est objectum formale, penes materiam erit materiale. Dicunt thomistae, objectum formale esse rectam dispositionem colorum; colores capaces illius rectitudinis esse objectum materiale proximum; remotum vero, ens, quod denominatur pictum. Idem nos dicimus, rectitudinem definitionis esse objectum formale; cognitionem capacem illius rectitudinis objectum materiale proximum; ens vero, quod dicitur definitum esse objectum materiale remotum.

Arguunt 2o pro thomistis jesuitae. Per vos quod est reale constitutivum modi sciendi est objectum materiale proximum logicae; sed conceptus pure objectivus est reale constitutivum demonstrationis, quae absque dubio est modus sciendi: ergo. Probatur minor. Quod est reale constitutivum veritatis, est reale constitutivum demonstrationis; sed conceptus objectivus est ali-

quod Veale Constitutivum Veritatis; ergo. Major hujus silogismi convincitur, quia
demonstratio constituitur per Veritatem est enim silogismus Verus, minor est cer
ta, quia Veritas constituitur ex actu, et ex Objecto.
Respondeo concesa majori, ne
go minorem; ad hujus probationem, distingo majorem: quod est Veale constitu
96 tivum Veritatis formalis est Veale constitutivum demonstrationis, concedo; Verita
tis Objectivæ, nego majorem, et distincta e contra minori nego consequentiam.
Veritas formalis demonstrationis sitæ in illa recta dispositione partium, per quam
demonstratio constituitur, et est talis, et hoc artificium pertinet quidem ad logicam
Veritas autem Objectiva, cum non sit capax talis artificii, et rectitudinis ita ne
q.e per se pertinet ad logicam: atq.e adeo non est objectum materiale proximum
illius.
Argiunt 3.o logica docet definire esentias rerum; sed esentiæ rerum
97 sunt conceptus pure Objectivi: ergo. Respondeo, logicam docere cognitionem
que explicet per genus et diferenciam esentias rerum; non vero ipsas
rerum esentias. Argiunt 4.o hic actus est logica: definitio Objectiva de
bet converti cum definito Objectivo; sed agit de conceptibus Objectivis:
ergo. Respondeo esse logicam, si reddit hunc sensum: definitio forma
lis debet explicare predicata a quibus valeat consequentia ad definitum
Objectivum, in quo sensu est logica definitiva; si autem accipienda e-
sset in proximo sensu probaret, conceptus Objectivos esse Objectum formale
logicæ.
Ut alia solvas notas 1.o conceptus Objectivos reduplicative, v.g. ens definitum,
ut definitum importare definitionem, et penes hanc esse Objectum logicæ, sed
98 hoc est formam esse Objectum non vero materiam, de qua solum est questio. 2.o
lapidem, calcem &. esse Objectum materiale proximum Argitectoriæ, quia
atinguntur ratione artificii erecti, cujus rectitudinis illa sunt capacia. 3.o
conceptus Objectivos esse Objectum materiale remotum. An vero pertineant ad
logicam per accidens? nihil curo. Nota tandem, scripturam et voces nullo mo
do esse Objectum logicæ, quia logica eas nullo modo atingit, cum tota sit
in ordinandis mentis Operationibus, et nihil curet de vocibus, licet in hunc,
vel in alium modum ordinentur.
99

BIBLIOTECA

Liber 2.us De Distinctionibus, et universalibus in genere:

Proemium

Librum agredimur omnium utilissimum, et cuicumq. facultati maxime necessarium cum passim occurrant dificultates, que solvi non possunt, nisi prius recte intelligatur identitatis, et distinctionis natura. qua propter dilectissimi discipuli totam huc advertite mentem, et pro viribus insudate in intelligendis his, que de distinctionibus dicenda sunt. Distinctio itaq.e alia est realis, que reperitur in rebus absq.e ulla cognitione, ut petrus distinguitur à lapide; alia est formalis, que tota est in diversis modis, quo objectum potest cognosci. iste distinctiones à nobis admittuntur; reliq.e vero rejiciuntur, cum quelibet res ab alia solum, vel realiter, vel formaliter distingui possit.

Disp.o 1.a De distin.e formali, et reali

Unum non esse realiter aliud, est unum ab illo distingui realiter. sic quia pe- 100
trus non est realiter lapis, a lapide realiter distinguitur. hac de causa distinctio realis solet explicari sic: ratio, qua unum non est aliquid; identitas vero realis sic: ratio qua unum est aliquid. est distinctio realis adequata, q.do nec est aliquid, nec aliquid illius; inadequata, q.do est aliquid illius. En exemplum. anima distinguitur adequate a corpore, quia nec est corpus, nec pars aliqua corporis; distinguitur inadequate ab homine, quia licet non sit totus homo, est tamen aliqua pars hominis.

Hec distinctio realis est positiva, quando reperitur inter extrema positiva, ut inter hominem, et lapidem. negativa, quando inter extrema negativa, ut inter carentiam lucis, et carentiam auditus. Mixta q.do est inter extrema, quorum aliud positivum, aliud est negativum, ut inter lucem, et thenebras. Dicitur absoluta, q.do reperitur inter rem, et rem; modalis vero q.do intercedit inter rem, et modum. Signa distinctionis realis sunt 1.o realis productio. 2.o separabilitas unius ab alio. 3.o relatio realis unius ad aliud. In simili de identitate, discurres. hoc supposito queritur, an hec distinctio realis reperiatur inter predicata meta

phisica quidem individui Creati: v.g. petri. predicata metaphisica sunt hec Ens, substancia Corpus, Vivens, animal rationale, petrus.

401 Vocantur etiam ista predicata gradus superiores, et inferiores; quia alii se exten dunt magis quam alii; Ens enim magis se extendit, quam substancia. substancia magis quam Corpus. Verum omnia illa in unico individuo re periuntur. nempe in petro. an autem inter illa predicata inveniatur dis tinctio realis? hec est questio quae resolvenda est; et sit

402 # Sectio 2.a predicata metaphisica ejusdem individui creati non distinguntur realiter

Ita omnes schole, excepta Juliana, cui adheret Paulus Venetus, enrrico de Gandavo, et alii certe pauci, docentes dari in homine tres animas distinctas, Vegetativam, sensitivam, et rationalem, propter diversas operationes vivendi, sentiendi, et discurrendi. probatur Conclusio. que sunt eadem realiter cum uno tertio, sunt idem realiter inter se; sed predicata metaphisica sunt realiter eadem cum uno tertio, nempe cum petro: ergo sunt realiter idem inter se; Major est axioma omnium philosophorum; minor constat, quia vere dicitur: petrus est animal. petrus est rationale. Est argumentum quo nullum dari potest clarius, atque robustius, et quo proposito frustra alia, et alia queres.

403 Respondent adversarii hanc propositionem petrus est animal est rationale reddere hunc sensum: petrus est habens animalitatem rationalitatem, que veritas manet licet animalitas a racionalitate dis tinguatur, ut distinguitur albedo a dulcedine, licet vere afirmetur: saca rum est album et est dulce. Contra: ergo predicata essentialia, qualia sunt apud omnes animalitas, et racionalitas convenient petro tanquam forme, accidentales albedinis et nigredinis. Contra iterum: ergo sicut entitas sacari specificative sumpta non est alba, aut dulcis, ita enti

404 tas petri secundum se non erit realiter rationalis, aut sensibilis. Obji

ciunt 1.o ex aristotele: fetus in utero matris prius vivit vita plante, dein de vita animalis, et tandem vita racionalis; ergo isti gradus realiter distin guntur. Confirmatur. homo sentit, et homo discurrit: sed iste operatio nes specie diverse oriuntur principium specie diversum: ergo. Respon deo nego primam consequentiam si loquitur de principio illarum ope rationum, quod principium est anima rationalis, que sufficiens est ad om nes illos gradus. similiter respondeo ad confirmationem, quia certissimum est apud omnes philosophos, unicum principium extendi ad diversos e fectus. sic sol Calefacit, fovet et illuminat: quare ergo vegetatio, sen

405 satio, et discursus non poterunt oriri ab eodem principio, cum cer tum sit animam prestare posse id omne.

Objiciunt 2.° quæ realiter separantur, realiter distinguuntur; sed ani
mal et rationale petri realiter separantur: ergo. Major est principi
um certum; minor probatur. Mortuo petro existit rationale petri:
sed non existit animal: ergo realiter separantur. Respondeo concessa ma
jori nego minorem, ad hujus probationem, nego majorem. non est ques
tio de rationali petri, prout est anima, sed prout est prædicatum meta
phisicum petri; hoc est principium discursus dependenter à sensibus,
quod cum resultat à tota essentia petri, deficit petro deficiente: ma
net vero rationale animæ, quod cum sit principium discursus indepen
denter à sensibus, potest existere etiam deficiente unione inter ani
mam et corpus petri; hoc vero rationale est prædicatum metaphisi- 100
cum animæ, non vero petri.

Objiciunt 3.° id, per quod petrus distingui
tur à paulo est sua differentia individualis; sed id, per quod paulus
distinguitur à paulo, distinguitur à petro: ergo petrus distinguitur
à sua differentia individuali, quæ est prædicatum essentiæ suæ. Ma
jor est certa. Minor probatur. Differentia individualis pauli est
id, per quod paulus distinguitur à petro; sed id, per quod paulus dis
tinguitur à petro, est id, per quod petrus distinguitur à paulo: ergo.
Respondeo nego utramque minorem, et ruit argumentum. Igitur petrus
distinguitur à paulo per differentiam individualem suam, non pau
li, et similiter paulus à petro per suam differentiam individualem.
licet vero distinctio mutua adæquata sit independentia utriusque, tamen
solus petrus est id, per quod à paulo differt, et solus paulus est
id, per quod à petro differt: quodlibet enim ens (ait doctor eximius) 101
sicut est idem sibi per se, ita per se est diversum ab aliis. Ut

alia solvas nota 1.° cum sancti patres ortantur nos, ut deo gratias a
gamus, quia nos non fecit belluas, intelligendi non sunt, ita, ut dicant,
deum potuisse animal nostrum cum irrationali bellua conjungere; qu
od est impossibile, sed unire nostrum corpus cum forma v.g. leonina, in
quo casu non hominem, sed leonem creavisset. 2.° nostrum animal iden
tificari necessario cum rationali; non vero inferendo esse aliquod ens
necessarium; sed solum ex suppositione, quod creetur esse necessarium,
ut sit rationale. 3.° animal esse prædicatum metaphisicum homi
nis, non secundum totum id, quod ut genus in definitione attingit, sed
solum secundum id, quod formaliter aparet, scilicet conceptu vivens senti 102
ens.

§ 2.a Distinctionis formalis natura exponitur

Cum inter prædicata metaphisica aliqua distinctio dari debeat, ut ex com
muni omnium scholarum sensu constat; sequitur, ut negata distinctione
reali, adstruamus inter illas distinctionem formalem nos, qui nullam

aliam distinctionem tanquam propriam agnoscimus. Apellari solet hæc
distinctio jesuitica, non quod antiquior non sit authoribus nostris, cum ill-
am aliquam ex parte docuerit Veterrima, ~~ac~~ ac Celebris Nominarium scho
la, sed quia oblivioni tradita, et in literariam arenam rursus revocata, nos
tro nomine donari voluit. illa vel sola Suaristicæ scholæ alumnos nostros
109 eficiet.

Quælibet ergo res, ut solet multis apellari nominibus, sic potest diversis
cognitionibus repræsentari. ita summum Pontificem, qui unus est, apellamus
divi petri successorem, Christi Vicarium, Romanum Episcopum, et similibus
Cognitionibus attingimus unum, eundemq. hominem, et omnia prædicata illius,
quia cum hæc sint realiter idem, non possunt aliqua attingi, quin omnia a
tingantur. hac de causa cognitiones, quibus attingimus non exeunt inade
quatæ ex parte objecti, quia totum objectum attingitur quacumq. cognitione;
sunt vero inadequatæ ex parte actus, quia objectum non cognoscitur tota
110 liter, seu omni modo, quo potest cognosci.

Hoc est fundamentum distinc
tionis, ideoq. solidius roborandum. rogas: hæc cognitio v.g. animal, quæ, ut di
ximus cognoscit totum hominem, est inadequata, hoc est cognoscens totum
objectum, totalitate objecti, quare illud non cognoscit totalitate cognitionis? res
pondet divus thomas, quia cognitio non adequat modum cognoscibilitatis objecti,
cum homo sit etiam cognoscibilis per alias cognitiones, v.g. per cognitionem
rationale. respondet eximius disputatione 7.a sectione 1.a numero 15.o nam licet per
unumq. conceptum eadem res concipiatur; per nullum tamen exacte conci
piatur totum id, quod est in re, neq. exauriatur tota quidditas, et ratio objecti
111 va ejus, quod reperiri concipiendo rem illam per habitudinem ad res diversas
vel ad modum earum.

Et numero 8.o addit: hæc distinctio conceptuum re
spectu rei, quæ in re omnino una est, nunquam est, nisi ob imperfectionem
ipsorum conceptuum. Unde, et nota bene, distinctio formalis nil ponit in re
bus, nil ipsis aufert, et solum servatur inter prædicata metaphisica rei,
quia cum nostra cognitio limitata sit non potest attingere objectum omni mo
do, quo illud est cognoscibile. ergo fit, ut cognoscens hominem per cog
nitionem animal, ita eum repræsentat, ut si solum esset animal; et cog
noscens per cognitionem rationale, ita eum repræsentet, ut si solum esset
rationale, utraq. cognitio est inadequata, quia non cognoscit hominem
omni modo, quo est cognoscibilis, quia per cognitionem animal solum
112 cognoscitur in ordine ad sensationes, et per cognitionem rationale solum
cognoscitur homo in ordine ad discursus.

Cum vero hæc distinctio formalis
sit rationis ratiocinatæ, hoc est cum fundamento in objecto, ut ejus prædicata
formaliter distinguantur: rogas, quodnam sit hoc fundamentum in homine
v.g.? respondet eximius: fundamentum, quod dicitur esse in re ad hanc dis
tinctionem, non est vera, et actualis distinctio inter eas res, quæ sic distin

qui dicuntur, alias non fundamentum distinctionis, sed distinctio ipsa antecederet, sed esse debet sel eminencia ipsius rei, quam sic mens distinguit, que à multis apellari solet virtualis distinctio: sel certa habitudo aliqua ad res alias, sere, et in re ipsa distantas, penes quas talis distinctio excogitatur, seu concipiatur.

Homo igitur habet in se eminenciam sel equibalentiam cum brutis, quia sentit cum illis: en fundamentum ex parte ipsius, ut cognoscatur per cognitionem animal: habet insuper equibalentiam cum angelis, quia cum illis discurrit: en fundamentum ex parte ipsius ut cognoscatur per cognicionem rationale. Accipiens ergo intelectus hoc fundamentum et cognoscens hominem per cognitionem animal representat omnia predicata metaphisica hominis, sed dicentia ordinem ad sensationes; et per rationale eadem representat sed dicentia ordinem ad discursus. unde vides ad distinctionem formalem requiri duas cognitiones, ut quarum eadem predicata metaphisica diversimode representetur, et recte definiri: forma, qua unum aparet diversimode intelectui.

Sectio 3ª Statuitur distinctio formalis se inter predicata metaphisica &c.

Sit ma conclusio: predicata metaphisica ejusdem individui creati distinguuntur formaliter ex parte actus. Probatur 1º ex doctrina tradita sectione antecedenti, in qua vides diversimode cognosci, atqº adeo representari hominem per cognitionem animal, quam per cognitionem rationale; quia per cognitionem animal representatur dicens ordinem ad sensationes, et per cognitionem rationale, dicens ordinem ad discursus: ergo diversimode aparet per illas cognitiones. Probatur 2º inter illa predicata debet admitti aliqua distinctio; sed non realis, ut diximus ergo distinctio formalis, quia nulla alia est posibilis, ut postea dicemus.

Probatur 3º homo cognitus per cognitionem animal, et idem cognitus per cognitionem rationale, aparet diverso modo intelectui: ergo cognitio 2ª, quæ ita aparet, distinguit formaliter illa predicata. Antecedens probatur. homo per cognitionem animal aparet dicens ordinem ad sensationes, et non ad discursus; et per cognitionem rationale aparet dicens ordinem ad discursus, et non ad sensationes; sed hoc modo aparere est diversimode aparere intelectui: ergo.

Probatur 4º que sunt diversimode per formas, que sunt actus, distinguuntur formaliter ex parte actus: sed talia sunt predicata metaphisica ejusdem individui creati: ergo. Major probatur. Que sunt diversimode per

formas, sunt diverso modo sed hec diversitas stare nequit sine aliqua distinctione modali, seu formali: sicut diversitas in esse realis stare nequit sine distinctione reali: ergo. Minor probatur predicata metaphisica sunt diversimode per cognitiones; sed omnis cognitio est actus et forma: ergo sunt diversimode per formas, que sunt actus. hec ultima minor patet, quia omnis cognitio est actus intellectus, et forma denominans objectum.

Probatur 5.o eadem distinctione distinguuntur v.g. in petro Animal, et rationale, qua distinguuntur in deo sapientia, et bonitas; sed he solum distinguuntur formaliter: ergo etiam illa. Major conceditur tam a thomistis, quam ab scotistis; quia non minus identificantur realiter animal, et rationale in petro, quam in deo bonitas, et sapientia. Minor probatur. sapientia, et bonitas in deo solum distinguuntur in diverso modo, quo nobis representant deum; bonitas scilicet representat deum ut bonum, sapientia ut sapientem; sed hic diversus modus representandi deum est solum distinctio formalis: ergo. Minor est definitio distinctionis formalis; Major autem est expresa sententia d. thome.

Sic ait Doctor Angelicus in 1.a distinctione 2.a Articulo 2o: Attributa dei (hoc est bonitas, sapientia, &) sunt unum in re; et quia unumquodque eorum est in deo secundum suam verissimam rationem, et ratio sapientie non est ratio bonitatis, in quantum hujusmodi, relinquitur, quod sunt diversa ratione &: ergo ratio bonitatis, et ratio sciencie distinguuntur in deo; sed non realiter, quia in re idem sunt: ergo solum per distinctam rationem, et hoc est, formaliter distingui: ergo idem dicendum de animali et rationali petri.

Objicies 1.o si animal per cognitionem animal distinqueretur formaliter a rationali, de animali, et rationali verificarentur contradictoria extrinseca; sed hoc repugnat: ergo. probatur major. animal per cognitionem animal distinqueretur, et non distinqueretur formaliter a rationali; sed hec sunt contradictoria extrinseca: ergo. Probatur major quoad secundam partem. Quod non distinguitur formaliter ab eo, quod est rationale, non distinguitur formaliter a rationali; sed animal per cognitionem animal non distinguitur formaliter ab eo, quod est rationale, quia non distinguitur formaliter ab animali, quod est rationale: ergo. Respondeo nego primam et secundam majorem; ad hujus probationem distingo majorem: quod non distinguitur formaliter ab eo quod formaliter est rationale, non distinguitur formaliter a rationali, concedo; ab eo, quod realiter est rationale, nego majorem; et distincta similiter minori, nego consequentiam. Itaque animal per cognitionem animal est formaliter animal, quod est realiter rationale, non vero est formaliter rationale, quia non aparet sub conceptu rationale

Objicies 2.o

Vel aliquid convenit animali per cognitionem animal, quod non convenit

rationali, vel non? si idem convenit: ergo non distinguuntur formaliter. si non convenit idem: ergo eo modo, quo cognoscitur animal, non cognoscitur rationale. Respondeo ad dilema; per cognitionem animal seorsim sumptam nil convenit animali, quod non conveniat eodem modo rationali per eamdem cognitionem animal; quia per cognitionem animal seorsim sumptam identificantur formaliter omnia predicata metaphysica hominis, ideoque etiam animal, et rationale. Verum per cognitionem animal comparatam cum cognitione rationali convenit animali esse formaliter animal, et non conveniat esse formaliter rationale, et e contra rationali per cognitionem rationale convenit esse formaliter rationale, et non esse formaliter animal, in quo stat distinctio formalis.

Objicies 3º animal et rationale non distinguuntur formaliter per id, per quod formaliter identificantur; sed per cognitiones animal, rationale formaliter identificantur: ergo. Minor probatur. Animal et rationale identificantur formaliter per id, per quod sunt formaliter idem; sed tam per cognitionem animal, quam per cognitionem rationale sunt formaliter idem: ergo. Ingeniosum sane argumentum, sed retortionem patitur in paritate distinctionis realis adequate, inter Petrum v.g. et lapidem, que, distinctio consistit in identitate Petri cum Petro et lapidis cum lapide. Quare sicut Petrus et lapis distinguuntur realiter adequate inter se per identitatem realem adequatam predicatorum Petri cum Petro, et lapidis cum lapide ita animal distinguitur formaliter adequate a rationali per duplicem identitatem formalem adequatam.

Animal enim, et rationale identificantur formaliter adequate per cognitionem animal: identificantur etiam eodem modo per cognitionem rationale quia per illam cognitionem omnia aparent in ordine ad sensationes, et per hanc in ordine ad discursus. Verum si cognitio animal comparetur cum cognitione rationale fit distinctio formalis adequata; quia omnia predicata, que, cognoscebantur per cognitionem animal, diversimode aparent per cognitionem rationale. per primam enim aparent in ordine ad sensationes, et per secundam in ordine ad discursus. hinc ad argumentum, nego majorem et distingo minorem probationis; animal et rationale per cognitionem animal seorsim sumptam sunt formaliter idem, concedo; sumptam comparative ad cognitionem ratione, nego minorem et consequentiam

Objicies 4º animal, et rationale distincte formaliter, distinguuntur plus quam formaliter: ergo. probatur antecedens. distinguuntur realiter inadequate: ergo. probatur hoc antecedens. animal esse distinctum a rationali et animal esse cognitum per cognitionem animal, et rationale esse distinctum ab animali, est esse cognitum per cognitionem rationale; sed animal, et rationale esse sic cognita est esse distincta realiter inadequate: ergo. Res

pondeo distinguo antecedens; distinguuntur plusquam formaliter animal, et rationale, nego antecedens; animal ut cognitum, et rationale, ut cognitum concedo antecedens, et nego in primo sensu reliqua. Itaque animal ut cognitum est concretum dicens animal, et cognitionem, et sic rationale ut cognitum dicit rationale et cognitionem: penes has cognitiones distinguuntur realiter; formaliter vero penes materiam concreti, seu praedicata animal rationale, de quorum distinctione nunc agitur, et non de distinctione cognitionum.

Objicies 15° et simul instabis. Animal, et rationale non constituuntur per distinctionem formalem: ergo non distinguuntur per illam. Antecedens patet, quia animal, et rationale constituuntur per praedicata realiter identificata cum animali, et rationali; non vero per cognitiones animal, rationale, quia sic distinguerentur realiter inadequate. Consequentia est illud Philosophorum axioma: distinctivum, et constitutivum omnis idem est. Respondeo distinguo antecedens: animal, et rationale non constituuntur intrinsece per distinctionem formalem, concedo; extrinsece nego antecedens, et consequentiam. Verificatur itaque axioma philosophicum, quia eodem modo distinguuntur, quo constituuntur; constituuntur extrinsece, et extrinsece distinguuntur.

Rogas: quid est ens constitui extrinsece? Respondeo est denominari a forma realiter distincta. Quare animal constitui extrinsece distinctum est denominari diversimode cognitum per cognitionem realiter distinctam ab animali. En exemplum in distinctione extrinseca non metaphysica. Rex indutus veste servili constituitur extrinsece servus, et extrinsece distinguitur a se ipso induto veste regia. Sic etiam entitas animalis per cognitionem animal extrinsece constituitur animal, et eadem entitas per cognitionem rationale extrinsece constituitur rationale, adeoque extrinsece diversa, et haec diversitas dicitur distinctio formalis, quia est forma, qua unum &, et dicitur extrinseca quia est actus intellectus extrinsece adveniens ipsi entitati.

Disputatio secunda De aliis distinctionibus rejiciendis

Placuit nobis ideam distinctionis formalis tradere, antequam de aliis distinctionibus ageremus, recessimus in hoc a communi professorum metodo; solent enim omnes refutare prius omnes alias distinctiones, et ultimo loco hanc statuere. Sed mihi visum est rectius vos tam plenius adversariorum sententiam, et argumenta intellecturos, si prius notitiam hujus distinctionis ha

bexetis. faxit Deus, ut id æquatt quod solertissime suivt Conatus. dis tinctio ... ergo formalem aliarum distinctionum refutatione fortius corroboratam videbis.

Sectio prima rejicitur distinctio Schotistarum

Schotistæ, contra Suaristas, et Thomistas suam distinctionem statuunt non inter rem, et rem, quia sic esset distinctio realis absoluta; sed inter formalitates. Res est v.g. homo formalitas est animal, et rationale, seu animalitas, et rationalitas, quæ in eorum sententia non solum distinguuntur per cognitionem, sed etiam ex natura rei, ut ipsi dicunt. Ideo suam distinctionem vocant realem formalem, realem mediam. Realem non rigorosam; quia ex una parte major est distinctione formali, et ex alia est minor distinctione reali absoluta. Contra hanc distinctionem communis est Thomistis, et Jesuitis hæc Conclusio:

Prædicata Metaphisica quidem individui creati non distinguuntur schotice, seu formaliter ex natura rei. Probatur 1° ex doctore eximio. Ideo per eos animalitas et rationalitas distinguuntur formaliter ex natura rei, quia distinguuntur definitione, et conceptu objectivo; sed hoc non sufficit, ut ea distinctio sit independens ab intellectu, adeoq. ex natura rei: ergo. Probatur minor. Essentia rei non semper definitur prout est independenter ab intellectu, sed solum prout a nobis concipitur: ergo licet animalitas, et rationalitas distinguantur definitione, hoc non sufficit, ut ea distinctio sit independens ab intelectu, adeoq. ex natura rei.

Probatur antecedens. Essentia hominis definitur ut communis, cum in re non sit nisi singularis: ergo. Urgetur Eximius. Vel sumitis animalitatem, et rationalitatem prout in re sunt, vel prout intellectui aparent? si primum: atqui a parte rei animalitas, et rationalitas nihil aliud est, quam ipsa rei essentia: ergo a parte rei non sunt diversæ. Si secundum; atqui ex animalitate, et rationalitate prout intellectui aparent non potest resultare distinctio ab intellectu independens: ergo.

Respondent Mastrius non semper ex diversis definitionibus arguendis tinctionem ex natura rei, sed tunc solum, quando definitiones traduntur per conceptus adequatos. Sic animalitas est ratio assimilandi hominem equo, et rationalitas non est talis ratio. Contra. Vel rationalitas realiter absolute est ratio assimilandi hominem equo ante operationem intellectus, vel non? si primum: ergo quæ sunt eadem uni tertio non sunt idem inter se. Probatur consequentia. Rationalitas est idem realiter cum homine; sed homo est ratio assimilandi hominem equo, et rationalitas non est talis ratio: ergo. Si secundum, erit distinctio ab operatione intellectus proveniens.

Probatur 2°. si animalitas, et rationalitas distinguuntur ex natura rei etiam distinguitur rationalitas à diferencia specifica; sed hoc est absurdum: ergo. minor est certa, quia ipsa rationalitas est diferencia contrahativa generis ad speciem, ideo g. diferencia specifica. Probatur major. diferencia specifica distinguitur definitione, et conceptu ab ipsa rationalitate; sed vos in hoc fundatis distinctionem ex natura rei: ergo. Major est certa, quia diferencia specifica definitur: formalitas contrahativa generis, et rationalitas: vis discurrendi. Roboro. admissa tali distinctione, animal non identificatur cum rationali: ergo realiter distinguitur. Probatur antecedens. si illius distinctionis est vera hæc propositio: animal à parte rei non est rationale; sed hujusmodi propositiones nunquam sunt veræ, si detur realis identitas: ergo. si negent scholiste minorem resp. ut exigrent extra casum questionis similem aliquam propositionem, quæ sit vera.

Probatur 3°. omne, quod realiter simpliciter, et rigorose identificatur cum ente reali, est realiter, simpliciter, et rigorose ens reale; sed animalitas, et rationalitas petri ita identificantur cum petro, qui est ens reale: ergo. in culto, identificari cum ente reali est esse ens reale; sed animalitas, et rationalitas identificantur cum ente reali, scz petro: ergo absolute, sunt ens reale. respondent eas formalitates non esse, producens, et productum, adeoque non distingui realiter absolute. Contra. lapis, et homo non sunt producens et productum; sed distinguuntur realiter absolute: ergo male fugitis. relatio producentis, et producti est ratio sufficiens distinctionis realis, sed non est unica ratio.

Probatur tandem. admissa distinctione ex natura rei, animalitas est petrus, et rationalitas est petrus, hoc est sunt idem cum uno tertio; et tamen animalitas non est rationalitas, id est non sunt idem inter se, sed esse idem cum tertio, et non esse idem inter se est absurdum contra sensum omnium philosophorum: ergo subtinenda non est talis distinctio. respondent, ea absurda talia non esse, cum intercedat talis distinctio formalis ex natura rei. sed hæc est responsio per questionem; et deinde, quæ distinctio admittitur, si destruat principia omnium philosophorum judicio aprobata.

Sectio secunda solvit scholistarum objectiones

Objiciunt 1°. animal, et rationale habent diversas essentias Metaphisicas, seu definitiones: ergo distinguuntur formaliter ex natura rei. distingo antecedens; habent diversas definitiones formales, concedo; objectivas, nego antecedens, et consequentiam. definitio objectiva est entitas rei, quæ, per conceptum, seu definitionem formalem explicatur cum ergo animal et rationale sint unum, et idem objectum, eadem g. entitas una est definitio objectiva utriusq.e quod vero animal definiatur principium sentiendi, et rationale principium discurrendi, ac

quet, unam, eandemq. rem diversis conceptibus explicavi, et distin qui, formaliter ex parte actus, non vero, formaliter ex natura rei. Ob-

jiciunt 2º. gradus superior animal est extra essentiam rationalis, quia animal invenitur in leone, in quo non invenitur rationale: ergo. distinguo antecedens; gradus superior animal extra sensum questionis, est etiam extra essentiam rationalis, concedo; in sensu questionis, nego antecedens, et consequentiam. loquimur omnes de animali, quod est predicatum metaphisicum determinatum individui, v.g. petri, quem eodem modo constituit rationale. unde sicut rationale est intra essentiam petri, etiam animal est intra ejus essentiam, adeoq. intra essentiam rationalis. gradus vero superior animal tamen solum convenit leoni, et cuiq. animali tamquam inferiori, q.o est genus, sive predicatum abstractum per rationem ab omnibus animalibus, adeoq. conveniens omnibus. loquendo tunc verum est, animal esse extra essentiam rationalis, quia indiferens est ad rationale, et irrationale.

Objiciunt 3º. magis identificatur homo a parte rei cum animali, quam cum rationali: ergo aliquo modo utrumq. distinguitur, non realiter: ergo, formaliter ex natura rei. probatur antecedens. homo non potest concipi sine animali; sed animal potest concipi sine rationali: ergo. deinde hec predicatio est formalis: homo est animal; et hec materialis: animal est rationale; sed predicatio formalis dicit majorem identitatem predicati cum subjecto: ergo. respondeo, nego antecedens, ad cujus probationem nego minorem, quia animal, de quo loquimur non potest a rationali prescindi, quia semper includit rationale, cum quo identificatur. insuper identitas realis non suscipit magis, et minus; unde in utraq. predicatione eadem est identitas predicati cum subjecto. quod vero una sit formalis, alia materialis stat in eo, quod in formali predicatione predicatum est de conceptu definitivo subjecti. in materiali vero non ita.

Objiciunt 4º. et precipue. a parte rei aliquid convenit animali, quod non convenit rationali: sed eo ipso distinguuntur ex natura rei: ergo. probatur major. a parte rei animal est simile leoni; sed hoc non convenit rationali: ergo. hoc argumentum inventum a patre sinco pro distinctione virtuali, scotisque in eos scholis, illudq. appellant crucem ingeniorum; sed si crux, hoc nobis portanda est. sic scholista cisnerus ait faceté quidem noster Lozada. retorqueo tamen argumentum. rationale stricte realiter est ratio assimilandi hominem equo; sed simul stricte realiter non est ratio sic assimilandi, sed potius diferendi: ergo rationale simul est, et non est stricte realiter ratio assimilandi hominem equo?

Ad argumentum nego majorem, ad ejus probationem, distingo majorem, animal est simile leoni a parte rei, modo quo etiam est

simile rationale, concedo; diverso modo, nego majorem et in eodem sensu minorem et consequentiam. tagq. a parte idem, quod convenit animali, convenit eodem modo rationali. animali convenit esse fundamentum ut confundatur cum leone per cognitionem animal, et rationali convenit esse fundamentum, ut cum leone confundatur per eamdem cognitionem animal, et hoc est animal, et rationale esse simile leoni eodem modo; et similiter utrumque esse dissimile, seu fundamentum ut differat à leone eodem modo per cognitionem rationale.

Instant 1°. implicat, petrum esse similem leoni per id, per quod est dissimile; atqui per rationale est dissimile: ergo per rationale non est simile: sed est simile per animal: ergo. respondeo modo, quo supra. neq. animal est simile leoni per id, per quod est dissimile, nempe per rationale; nam utrumque est simile leoni, et est dissimile eodem ipsissimo modo; animal enim est simile per cognitionem animal, et rationale est simile per animal, quod predicatum est realiter rationale: rursus animal est dissimile sed per rationale, est enim realiter predicatum rationale, et per hoc predicatum est dissimile leoni, sicut est predicatum rationale.

Instant 2°. ergo si petrus est similis leoni per rationale, rationale debet reperiri in leone, et in petro; sed hoc est absurdum: ergo. probatur consequentia. ratio assimilandi unum cum alio debet reperiri in utroque; sed si petrus esset similis leoni per rationale, rationale esset ratio assimilandi petrum cum leone: ergo. respondeo nego primam consequentiam, ad cujus probationem nego majorem. ratio assimilandi petrum cum leone est omne id, quo petrus est similis leoni, et non debet reperiri in utroque; alias petrus non esset similis paulo, quia in hoc non reperitur rationale petri. sufficit ergo, ut in utroque reperiatur predicatum, in quo sunt similes, et confundi possunt ab intellectu, non vero predicatum omne, per quod sunt similes, idem tenentur fateri schoristae, quia homo per rationale est similis risibili leonis in eo, quod tam rationale quam risibile sunt formalitas ex natura rei, et tamen rationale non reperitur in leone.

Objiciunt 5°. haec propositio est falsa: animalitas est rationalitas: ergo quia datur distinctio ex natura rei. ex fundamentum distinctionis schoticae. respondeo concedo antecedens nego cum nostro eximio consequentiam, et ratio est, quia ut sit falsa illa propositio sufficit distinctio formalis, quae reperitur inter utrumque predicatum. praeterea quia cum rationalitas de animalitate predicatur non solum significatur, illas esse idem secundum rem, quod est verum, sed etiam secundum rationem, et hoc est falsum; atque adeo cum per illam propositionem significari velit rationalitatem esse de conceptu formali animalitatis est falsa propositio, licet identicè eodem realiter sit essentia, et rationalitas.

Ut alia solvas. nota 1º non bene definiri hominem per animal, licet hoc modo proponatur tota essentia hominis; quia non proponitur modo quo debet. 2º à parte rei nulla esse predicata Metaphisica. 3º ex distinctione scholastica inferri distinctionem realem absolutam; atque adeo omnia et argumenta contra illam distinctionem in ipsos retorqueri posse, quia petrus à parte rei est absolute similis leoni per animal, et absolute dissimilis per rationale; unde animal à parte rei deberet absolute distingui à rationali, quod nullus illorum concedet.

Sectio 3a distinctionem virtualem maximam explicat et ejus argumentis satisfacit

Recensiores loquentes de hac distinctione sic illam definiunt: perfectio intrinseca componens cum identitate reali predicata aliunde contradictoria. Dicitur perfectio intrinseca ad differentiam distinctionis virtualis minimae, que est extrinseca, et consistit in eo, quod ex predicatis realiter identificatis unum cognoscatur, et aliud nullo modo cognoscatur, quod cum extrinsecum sit objecto dicitur perfectio extrinseca illa distinctio: hec vero maxima dicitur intrinseca, quia precisim ab omni cognitione, aliquid convenit uni, quod alteri non convenit, quin ex hoc inferatur distinctio realis, sed solum virtualis hoc est equivalens reali in aliquo munere, nempe in eo, quod de predicatis sic distinctis verificentur praedicata que essent contradictoria, nisi intercederet distinctio illa, que componeret contradictoria cum identitate reali, et hoc munus dicitur ab illis secundarium.

Primarium vero munus distinctionis realis est facere, quod unum non sit realiter aliud. in hoc munere distinctio virtualis maxima nihil habet cum distinctione reali. theologi nri hanc distinctionem admittunt communiter inter naturam divinam et personalitates; negant tamen inter predicata Methaphysica, quia nihil potest à parte rei verificari de animali, quod in eodem sensu non verificetur de rationali; aliter enim non virtualiter, sed realiter absolute distinguerentur. Quod ad theologiam attinet, hoc unum dicam, esse illam omnino supperfluam, cum illa predicata: paternitas producit; natura divina non producit cum sola distinctione formali recte componantur ab eximio Vasquez et divo thoma.

Audiatur divus thomas prima parte questione 39 articulo 1º ad 2m. in quantum essentia et persona in divinis differunt secundum intelligentiae rationem, sequitur, quod aliquid possit affirmari de uno, quod negatur de altero. et pro reliquis unum adduco Dionicium Petavium tomo 1º libro 3º capite 4º numero 5º dicente: distinctio rationis ex theologorum christianorum consensu: satis est, ut quedam de natura ipsa dicantur, que in personarum cadunt. Superflua ergo et inutilis est talis distinctio adhuc in divinis.

Nos igitur ex mente Crimii, nomine distinctionis virtualis intelligitur solum fundamentum, quod in rebus formaliter distinctis invenitur ut intellectus ea, quæ realiter idem sunt, ratione præscindere, seu formaliter distinguere; sic ubicumq. invenitur distinctio formalis, inveniri distinctionem hanc necesse est, cum sit distinctio rationis ratiocinatæ, hoc est cum fundamento in re. Quamvis hanc distinctionem, modo quo proponi solet, nullus antiquorum cognovit, ideo illam non impugno quia oleum et operam perderemus aliquot tamen argumenta solvemus, ne videamur difficultatem effugere.

Arguitur 1º Pater Vince virtualistarum princeps. Amor et odium actus contritionis sunt duo prædicata metaphisica ejusdem individui creati; sed distinguuntur virtualiter maxime: ergo. Major est certa. Probatur minor. De illo amore, et de illo odio verificantur prædicata alias contradictoria intrinseca; sed hæc est distinctio virtualis maxima: ergo. Probatur major. De amore verificatur terminari ad Deum, et de odio verificatur non terminari ad Deum: rursus de odio verificatur terminari ad pecatum, et de amore non terminari ad pecatum; sed ita terminari, et non terminari sunt contradictoria intrinseca: ergo. Respondeo ad argumentum, concessa majori, nego minorem, ad istius probationem, nego majorem, ad hujus probationem nego etiam majorem quoad omnes partes negativas.

Instat 1º: ergo sicut amor terminatur ad Deum, ita etiam odium: sed hoc est absurdum: ergo. Probatur minor. Si odium terminaretur ad Deum, odium denominaret Deum odio habitum; sed repugnat Deum denominari odio habitum per actum contritionis, qui est perfectissimus amor: ergo. Roboratur. Quia amor terminatur ad Deum denominat Deum amatum: ergo si odium etiam terminatur ad Deum, illum denominabit odio habitum, quod certe repugnat actui perfectissimo charitatis, ut est actus contritionis.

Respondeo concessa prima consequentia, nego minorem, ad cujus probationem, distinguo majorem: si odium terminaretur ad Deum aversive denominaret Deum odio habitum, concedo; si terminaretur afective, nego majorem, et concessa minori nego consequentiam. Itaq. in actu contritionis, cum sit amor Dei, et odium pecati propter Deum, reperitur simul utrumq. sed idem amor est realiter odium pecati et idem odium pecati est realiter amor Dei. ex modo autem, quo idem actus voluntatis tendit in objectum, sumitur denominatio, quam ipsi tribuit. Sic si tendit in objectum afective, seu volendo illud, denominatur objectum amatum; si vero aversive illud nolendo denominatur objectum odio habitum.

Amor igitur actus contricionis tendit in Deum afective, et idcirco denominat illum amatum, et hoc etiam modo tendit odium pecati ad Deum, ideoq. illi præstat eamdem denominationem, quam amor. Similiter de tendentia amoris et odii ad pecatum discurrendum est. Unde quoquis verificatur de amore actus contricionis in eo

dem sensu, et eodem modo verificatur de odio. de utroque verificatur tendere ad Deum affective, et aversive ad peccatum, et de neutro terminari, et non terminari ad Deum, vel ad peccatum affective, vel aversive.

Cito exemplum motus, quo tu, e Domo venis ad Gymnasium; idem motus te denominat accedentem, et recedentem; accedentem scilicet ad Gymnasium, et recedentem a Domo et id ipsum, per quod denominaris recedens a domo, denominat te accedentem ad Gymnasium, et e contra. quia de eodem motu verificari possunt predicata aliunde contradictoria. Sic etiam una eademque cognitio denominat intellectum cognoscentem, et objectum cognitum, quia ex diverso modo, quo aliquid terminatur in objectum, illi prebet denominationem, absque ulla differencia nisi in objecto. Utere his exemplis, ut instaures retortiones in adversarios.

Arguunt 2º. in actu fidei vitalitas, et supernaturalitas sunt duo predicata metaphisica; sed de illis verificantur predicata aliunde contradictoria: ergo. Probatur minor. Vitalitas exigit principium vitale, non vero supernaturale; et supernaturalitas e contra. sed exigere, et non exigere sunt contradictoria: ergo. Respondeo nego minorem, et antecedens probationis. Vitalitas actus fidei, de qua est quæstio simul exigit produci a causa vitali, et supernaturali, quia est non quæcumque vitalitas, sed talis vitalitas essentialiter importans supernaturalitatem; et similiter supernaturalitas talis actus exigit principium vitale, quia est supernaturalitas actus exigentis principium vitale: atque adeo quidquid de vitalitate affirmari potest pariter, et in eodem sensu convenit supernaturalitati actus fidei.

Arguunt 3º. in angelo predicatum perfectum, et predicatum ens sunt realiter idem; sed distinguuntur virtualiter: ergo. Probatur minor. de predicato perfectum verificatur esse magis, vel esse majus, quam homo; de predicato ens verificatur non esse magis, quam homo; sed esse, et non esse magis, quam homo sunt contradictoria intrinseca, seu virtualis distinctio: ergo. Major patet, quia angelus est magis perfectus, et non est magis ens, quam homo. Respondeo ad argumentum nego minorem, ad hujus probationem nego majorem. tunc igitur angelus a parte rei est magis ens, hoc est perfectius ens, quam homo.

Nota 2º. ex patre Ulloa his, et similibus argumentis responderi posse clarius, et fortasse solidius negando esse contradictorias has propositiones: Rationale non est simile leoni: Animal est simile leoni. amor tendit ad Deum: Odium non tendit ad Deum. Predicatum perfectum est magis: predicatum ens non est magis quam homo. et sic de aliis. Ratio est, quia ut vides non sunt de eodem secundum eundem sensum, nam sensus v.g. primæ propositionis est, quod utrumque sit animal, et sensus secundæ non est, quod utrumque non sit animal, sed quod utrumque non sit rationale, quod non involvit contradictionem.

Nota 2º in peccato idem esse realiter materiale et formale, et ad utrumque concurrere Deum pure permissive. 3º in colore idem esse realiter predicatum color, et predicatum dependentia a Deo, et utrumque videri oculis corporeis. 4º te acquiter defen- surum de predicatis creatis realiter identificatis non posse aliquid verificari de uno quod in eodem sensu non verificetur de alio. Tandem omnia argumenta Schotistarum hic possunt renovari, quibus et aliis facile respondebis, si acommodas solutionem quam dedimus superioribus argumentis.

Sectio 4ª recijicitur distinctio virtualis minima seu precisio objectiva.

Utroque hoc nomine apellatur hec distinctio a thomistis admissa in eo sitam consistere dicitur, quod intellectus sua penetracione ita cognoscat predicata realiter identificata, ut ea quasi scindat cognoscendo unum, alio nullo modo cognito. Unde admissa illa virtute in intellectu, debet etiam admitti in objecto capacitas, ut ita prescindantur ejus predicata, et ideo ratione hujus capacitatis, non dicitur precisio formalis consistens in solo intellectu quam nos supra defendimus, ergo objectiva; et ut suasior sit, consistit a thomistis fundamento entis rationis fieri, quod resultat ex cognitione unius predicati, et recipitur in objecto.

Sit contra illos conclusio. Predicata metaphisica ejusdem individui creati non distinguuntur virtualiter minime, ita Schotistae, et jesuita contra thomistas, et ex nostris reverendissimum Patrem Tirsum Gonzales societatis ms. generalem, Ponce Conton, Izquierdo, et alios, quos ingenii et dignitatis splendore tuemur in suam traxit sententiam. Probatur 1º de predicatis realiter identificatis non possunt verificari predicata contradictoria intrinseca; sed hec verificarentur admissa praecisione objectiva: ergo. Major conceditur a thomistis negantibus distinctionem virtualem maximam, probatur ergo minor. Admissa praecisione objectiva animal cognosceretur per cognitionem animal, rationale vero non cognosceretur per cognitionem animal; sed ex hoc sequitur verificari contradictoria intrinseca: ergo. Probatur minor. Si animal cognosceretur per cognitionem animal esset intrinsece capax, ut per illam cognosceretur, et rationale si non cognosceretur non esset intrinsece capax ut per illam cognosceretur. Sed hec sunt contradictoria intrinseca: ergo.

Major quoad 1m partem est innegabilis. Si 2a negetur infert sic: ergo esset rationale intrinsece capax ut cognosceretur per cognitionem animal, ergo esset etiam intrinsece capax ut non prescinderetur objective ab animali. Roboratur. Rationale solum est cognoscibile per cognitionem, per quam potest cognosci; sed non potest cognosci per cognitionem animal: ergo non est cognoscibile per cognitionem animal. Major est evidentissima. Minor convincitur. Ra

tionale non poterit cognosci per cognitionem, per quam objective praescinditur à rationali; atqui per hoc per cognitionem animal objective praescinditur à rationali: ergo per illam non poterit cognosci rationale, sed poterit cognosci animal: ergo.

Respondere volunt thomistae, animal et rationale cognosci, sed hoc discrimine, quod animal cognoscatur immediate rationale vero mediate, sed instó: ergo animal est intrinsece potens cognosci immediate, et rationale non est intrinsece potens cognosci immediate per cognitionem animal sed haec sunt contradictoria intrinseca: ergo. Respondet Reverendissimus Tirsus nihil intrinsece verificari de animali, quod non verificetur intrinsece de rationali; utrumque enim est intrinsece capax, ut cognoscatur animal per cognitionem animal, et neutrum est intrinsece capax, ut per eandem cognoscatur rationale. Contra et infero: ergo tam animal quam rationale habent intrinsecam capacitatem, ut cognoscantur per cognitionem animal: ergo ita cognoscuntur: atqui si ita cognoscuntur per cognitionem animal non praescinditur objective animal à rationali: ergo.

Probatur 2° conclusio. admissa tali praecisione, destruitur forma syllogistica: ergo ipsa potius destruatur. Probatur antecedens. illa admissa non concluderet hic syllogismus recte dispositus in Barbara: Omne animal est extrinsece, et intrinsece capax, ut cognoscatur per cognitionem animal; sed omne rationale est animal: ergo omne rationale est extrinsece, et intrinsece capax, ut cognoscatur per cognitionem animal: ergo destruitur forma syllogistica. destruitur inquam, quia ille syllogismus est recte dispositus, et in prima figura, et tamen concessis praemissis negarent thomistae consequentiam, ut ex tuis putaret.

Probatur 3°

Cognito animali per cognitionem animal non posse intellectum reddere rationem de rationali, non probat, non cognosci rationale: ergo cognoscitur etiam rationale. Antecedens destruit fundamentum thomistarum dicentium ~~[illegible]~~ satis esse intellectum non posse reddere rationem de rationali, ut ab animali praescindatur. Probatur ergo antecedens. Cognito animali per cognitionem animal rusticus non potest reddere rationem de principio sensationis: ergo licet cognito animali per cognitionem animal intellectus non posset reddere rationem de rationali, non praescindit objective animal à rationali.

Probatur 4° et roboratur ad hominem ex patre Arriaga. Visa per visio colore non possumus reddere rationem de differentia coloris, sed per hos visio ocularis non praescindit objective: ergo. Item. Saepe cognito definito non possumus reddere rationem de definitione: sed per hoc definitum et definitum non praescindunt objective: ergo. Tandem. Sicut g° video animal à longe possum reddere rationem de eo quod sit animal, et non de eo, quod sit rationale, sic possum reddere rationem de

eo, quod sit ens, et non quod sit rationale; sed per vos ens non praescin ditur objective à rationali: ergo. Confirmatur tandem ex patre Qui ros cum quis apprehendit sic: omnis formalitas possibilis non prae scindit objective formitatem, rationalitatem &c: sed non potest red dere rationem de pertraitate rationalitate &c: ergo fundamentum suae sententiae nullum est

Sectio 5ª Thomistarum argumentis respondet

1 Argumentum 1ª Thomistae, et praecipue. Qui videt à longe animal, quod revera sit rationale, cognoscit animal; sed non cognoscit rationale: ergo potest cognosci animal non cognito rationali. Major videtur certa, quia ergo, quod videat illud ens se modere cognoscit animal. Minor probatur. Qui videt à longe animal discernit et certus est, se cognoscere animal: sed non discernit, nec certus est, se cognoscere rationale: ergo illud non cognoscit. Major hujus silogismi convincitur, quia interrogatus quid sit illud ens respondebit esse animal; sed non respondebit esse rationale: ergo. Retorqueo argumentum. Saepe viso colore à longe non possumus respondere qualis sit differentia coloris: ergo visio objecti sit praescindit? Similiter retorquere poteris in alis exemplis numero antecedenti ad latis.

Respondeo ad argumentum concessa majori nego minorem; ad istius probationem, distinguo majorem; discernit, et certus est se cognoscere animal sub termino animal, concedo, sub termino rationale, nego majorem, et distincta è contra minori, nego consequentiam. Tac. sit tam animal, quam rationale in casu argumenti cognoscitur eodem modo, utrumque scilicet sub termino animal, et neutrum sub termino rationale. Quod vero rogatur an illud ens, quod videt à longe prospiciens, sit rationale, non possit affirmare, illud esse rationale sub termino rationale, non probat, eum non cognoscere rationale eodem modo, quo animal, sed solum probat non cognoscere rationale sub termino rationale, sub quo termino neque cognoscit animal. Sicut ex quo cognoscatur definitum, et non possit reddi ratio de definitione non infertur in sententia Thomistarum non cognosci definitionem.

Instant 1º.

Videns à longe animal non dubitat esse animal; sed dubitat esse rationale: ergo non cognoscit rationale. Insto etiam ergo. Rusticus cognoscens Christum esse hominem dubitat, imo et negat esse animal: ergo illud non cognoscit? ad argumentum respondeo ut supra non dubitat esse animal sub termino animal, concedo: sub termino rationale, nego majorem, et distincta è contra minori, nego consequentiam. Videns à longe animal non habet hanc cognitionem illud est rationale, quare non cognoscit objectum affirmando de illo esse rationale sub termino rationale; cognoscit

tamen esse rationale, esse inquam objectivum rationalis, quod est realiter totus homo, et similiter cognoscit quoad esse animalis, et omnium praedicatorum affirmando scilicet sub conceptu animal, et distando sub conceptu rationale.

Instant 2º. ergo aliquid convenit animali rio a longe, quod non convenit rationali. probatur. animali convenit esse clare cognitum: sed hoc non convenit rationali: ergo. probatur minor. si rationali conveniret esse clare cognitum, conveniret cognosci sub conceptu rationale: sed hoc non convenit rationali per cognitionem animal. ergo. haec major probatur. rationale clare cognosci est cognosci in ordine ad discursus: sed cognosci in ordine ad discursus est cognosci sub termino rationale, et non sub termino animal: ergo.

Respondeo ad instantiam nego consequentiam, et distinguo majorem probationis: animali convenit esse clare cognitum in ordine ad sensationes, et non in ordine ad discursus per cognitionem animal, concedo, in ordine ad utrumque nego majorem, et distinguo minorem: rationali non convenit esse clare cognitum eodem modo, quo animal nego minorem. diverso modo concedo minorem, et nego consequentiam. similiter respondeo ad reliquas probationes. itaque tam animal, quam rationale cognoscuntur eodem modo, clare scilicet in ordine ad sensationes per cognitionem animal, et neutrum cognoscitur in ordine ad discursus per eandem cognitionem animal.

Instant 3º. si per cognitionem animal cognosceretur rationale cognosceretur etiam ordo ad discursus: ergo cognosceretur discursus. antecedens patet, quia rationale, et ordo ad discursus sunt realiter idem. consequentia videtur certa, quia ideo, cognito animali per cognitionem animal cognoscitur sensatio, quia animal est ordo ad sensationes. respondeo distinguo antecedens cognosceretur ordo ad discursus sub hoc termino, nego antecedens, sub termino animal, concedo antecedens, et nego consequentiam replicant: ergo si per cognitionem animal cognoscuntur omnia praedicata metaphisica petri talis cognitio est comprehensiva petri. nego consequentiam, quia ad cognitionem comprehensivam non sufficit cognoscere omnia praedicata, sed illa cognoscere cum quanta claritate possint cognosci. iterum. ergo per cognitionem animal cognoscitur clare animal, et confuse rationale. respondeo nego consequentiam, quia talis cognitio eodem modo proponit animal, ac omnia praedicata metaphisica petri, et in ordine ad eundem terminum nempe sensationem.

Itaque quodcumque praedicatum petri multipliciter potest cognosci, et majori, vel minori claritate non respectu ejusdem cognitionis, sed facta comparatione ad alias cognitiones, quibus poterat cognosci. sic per cognitionem animal magis clare cognoscitur rationale, quam per cognitionem ens: magis inquam clare, quia per illud praedicatum, quo ens paucioribus convenit, magis cla

clare cognoscitur. Cognosci etiam potest in ordine ad unum, et non ad alium terminum; sic sub conceptu animal; rationale; et alia predicata cognoscuntur in ordine ad sensationes et non ad discursus, et è contra. Cur quare cognoscitur rationale per conceptum animal et non cognoscitur discursus, quia non cognoscitur sub termino, sub quo dicit ordinem ad discursus.

Arguent 2°: videns a longe animal eodem modo cognoscit illud ac si non esset rationale; sed in hoc casu non cognosceret rationale: ergo neque tunc cognoscit. Instat illustrissimus Palanco. Si Deus destrueret hominem a longe visum et illius loco crearet aliud animal perseveraret eadem cognitio animalis, et maneretur eadem species; sed non manet eadem species rationalis: ergo perseverante eadem cognitione animalis non dicetur cognitio rationalis.

Respondeo ad argumentum nego majorem, et majorem instanciæ, nam in casu adducto sicut esset diversum animal, esset diversa species missa sensibus, et diversa cognitio, quia sicut hæc dependet ab objecto, ita etiam dependet ab specie, juxta axioma illud: ab objecto et potentia paritur noticia, et ratio est, quia tam cognitio, quam species dependet essentialiter ab objecto, cum sit objecti representatio.

Arguitur 3°. negata precisione objectiva, plura sequerentur absurda: ergo est admittenda. Probatur antecedens 1°. non posset aliquis cognoscere Deum unum, quin cognosceret trinitatem personarum, quod falsum est, quia Aristoteles, et plurimi philosophi cognoverunt Deum, et trinitatem personarum. 2° nulla dabitur distinctio inter verum et bonum, adeoque idem erit specificativum, seu objectum intellectus, voluntatis.

Respondeo nego antecedens, ad primam probationem dico, cum quis cognoscit Deum, cognoscit etiam trinitatem objective sumptam in sensu scholastico, hoc est cognitione, si cujus posit dicere: Deus existit, est unus, bonus & non tamen cognoscit ita, ut posit dicere: Deus est trinus in personis, quod requiritur, ut cognoscat in sensu vulgari, et sic cognoscens non tenebitur ad actum fidei preceptum, non quia non cognoscat, sed quia ad hoc requiritur cognitio explicita illius misterii.

Ad 2am respondeo. Solum dari distinctionem puræ extrinsecam inter verum, bonum, sic cum dicitur: Objectum, quia verum, est specificativum intelectus, et quia bonum voluntatis nihil aliud significatur, quam idem objectum respective ad actus voluntatis esse amabile, et respective ad actus intelectus esse cognoscibile, hinc amari objectum, quia bonum, et non quia verum, solum arguit distinc

tas cognitiones quarum licet unaquæque cognoscat veritatem, et bonitatem objecti, alia exprimit illud sub ratione veri, alia sub ratione boni. et hæc est distinctio puræ rationis.

Arguunt 1°. cognitio qualitas uno modo, seu formaliter exprimit prædicatum qualitas, et alio, seu materialiter prædicatum ens: ergo non cognoscuntur eodem modo illa prædicata. Respondeo nego antecedens; modus enim exprimendi est ipsa cognitio qualitas. quod vero dicat formaliter prædicatum qualitas, et materialiter prædicatum ens non arguit præscisionem objectivam; quia dicere formaliter prædicatum qualitas est illud dicere per cognitionem correspondentem voci, quâ tale prædicatum nominamus. dicere materialiter prædicatum ens est cognoscere prædicatum ens, non vero per cognitionem correspondentem voci, quâ nominamus prædicatum ens. hinc solum infertur distinctio in cognitionibus; non vero in objecto cognito.

Hinc pro aliis nota 1°. per hanc, et similes propositiones: omne animal est principium sensationis, prædicari tam principium sensationis, quam rationale; utrumque scilicet sub termino animal, et indeterminate; neutrum sub termino rationale et determinate. 2°. non valere hanc illationem: omne animal: ergo est rationale, non quia per antecedens non cognoscatur omne rationale, sed quia aliquod est animal, quod non est rationale. 3°. sensationem hominis esse medium ad cognoscendum rationale, licet tale medium non sit sensatio leonis. 4°. per quamcumque cognitionem cognosci totum objectum totalitate objectiva, licet non totalitate formali, quia non cognoscitur omni modo, quo est cognoscibile.

Appendix

Pro distinctione formali ex parte actus

Dedimus, Dilectissimi, sectione 2ª disputationis 1æ. hujus libri generalem distinctionis formalis notitiam, eo consilio, ut ea, quæ de reliquis distinctionibus dicenda essent, facilius intelligeretis. Ea propter à communi professorum consuetudine discessimus, non quòd pudeat nos aliorum vestigiis inhærere, sed quia illa præstaret vobis commodius judicavimus. Sistite nunc igitur, et emenso jam disputationum de distinctionibus tractatu ad ea, quæ hucusque dicta sunt, oculorum aciem convertite.

Videte prædicatorum metaphysicorum naturam, atque realem inter se identitatem, cum qua quantum distinctio realis absoluta, quantum realis formalis, seu scotica quantum virtualis maxima, et præcisio objectiva pugnet ex identitatis natura colligite. Illa vero distinctio, quæ quia dependenter ab intellectu, sit in ipsius actibus consistit, formalis ex parte actus appellatur

quàm recte cum illa identitate copuletur, quis est qui non videat? age vero, et quæ de hac distinctione desiderari possunt, breviter perstringamus.

Rogas igitur 1º an hæc distinctio formalis sit propria distinctio? affirmo esse propriam distinctionem, sed extrinsecam objecto, qui a proprie licet extrinsecè facit unum non esse aliud. nec quia in diverso modo aparendi consistat, fingens dici potest; consistit enim in modo mº concipiendi prædicata, et etiam ex parte ipsorum prædicatorum datur fundamentum, ut intelectus illa concipiat eo modo. Unde non est distinctio realis, quia provenit ab intelectu cognoscente nec est ficta, quia fit cum fundamento in re. Circa hoc fundamentum recole dicta sectione 2ª disputationis 1æ.

Rogas 2º quotuplex sit hæc distinctio? respondeo, est pure talis q.do reperitur inter prædicata realiter identificata; non pure talis, q.do est inter prædicata realiter distincta, ut inter animal petri, et rationale pauli, quæ etiam realiter distinguuntur. specifica est q.do reperitur inter prædicata specifica; sic petrus cognitus per cognitionem rationale distinguitur formaliter et specifice à leone cognito per cognitionem irrationale. Numerica est, q.do cognitio dicit aliquod prædicatum non notabile si vero hoc prædicatum dicat una cognitio formaliter explicite, distinctio erit formalis penes implicitum, et explicitum. sit exemplum cognitio homo et cognitio animal rationale utraq.e idem dicit, sed prima confuse, secunda clare.

Dicitur distinctio rationis ratiocinantis q.do fit absque fundamento in re. hanc distintionem non agnoscimus, thomistica est, qualis illa sit ipsi viderint. distinctio vero rationis ratiocinatæ est quæ fit cum fundamento in re, et hæc est, quam nos admittimus, et propugnavimus. dici solet etiam adequata, et inadequata, sed quid hæc nomina significent in hac quæstione non video. nota igitur, et diligenter, omnis cognitio, quæ est forma, quâ unum aparet diversimode intelectui, sumitur comparative ad alias cognitiones, quibus idem objectum potuit aparere intelectui.

Rem explico. petrus per cognitionem animal distinguitur formaliter, distinguitur inquam à se ipso comparata cognitione animal cum cognitione rationale, quâ potuit, et potest petrus cognosci. et ratio est, quia si cognitio animal v.g. non sumatur comparative ad alias cognitiones, quibus petrus potest cognosci, non fiet distinctio formalis. cum q.e distinctio formalis hac comparatione intelligi semper debeat, locum non habet illa divisio in adequatam et in inadequatam semper enim objectum aparebit diverso modo intelectui per cognitionem, per quam fiat illa distinctio.

Rogas 3°. Quid sit identitas formalis? Respondeo esse formam qua plura aparent eodem modo intelectui. Unde identificantur formaliter omnia predicata metaphisica Petri per cognitionem animal, quia omnia aparent eodem modo, nempe ut dicentia ordinem ad sensationes ut toties dictum est: et similiter identificantur formaliter per cognitionem rationale, quia omnia eadem predicata aparent eodem modo, scilicet ut dicentia ordinem ad discursus. Ubi vides, quod licet per unamquamque ex his cognitionibus omnia predicata formaliter identificentur; si tamen comparative sumantur, fit, ut per unam cognitionem illa predicata apareant diverso modo intelectui, quam per aliam, atque adeo formaliter distinguantur.

Ex quibus omnibus infert tamquam dogma in schola nostra centesimum de predicatis realiter identificatis nihil posse de uno afirmari, vel negari, quod eodem modo, et in eodem sensu non posit afirmari, vel negari de aliis. non posse unum aparere, in ordine ad unum terminum, quin omnia in ordine ad eundem terminum apareant. Non cognosci unum, quin cetera cognoscantur, et quidem eodem modo. tandem, distinctionem hanc in eo consistere quod per cognitionem scilicet animal omnia predicata Petri apareant intelectui in ordine ad sensationes, et per cognitionem rationale eadem apareant in ordine ad discursus, quod est diversimode aparere.

DISPUTATIO TERTIA DE UNIVERSO METAPHISICO, ET LOGICO

Multiplex est universum 1°. in causando, et tale est quelibet causa productiva multorum efectuum; in hoc sensu Deus dicitur causa universalissima. 2°. in representando, scilicet vox omo, et cognitio homo, que plura significant, et representant. 3°. in esendo, et est unum, quod aliquo modo potest esse realiter in pluribus, scilicet natura humana in multis hominibus. hoc universum in esendo negarere olim Heraclitus Christilodus, et celebris nominalium schola nunc vero omnes admittunt naturam humanam (et sic genus alia) esse universalem non modo in causando et representando; sed etiam in esendo. De hoc sit.

Sectio 1.a Definitur, et dividitur universum

Universum metaphisicum ita definitur ab Aristotele 7.o metaphisicae, capite 7.o: unum aptum esse in multis, et primo Periermenias, seu de interpretacione, sic universum logicum: unum aptum predicari de multis. Erravit vero ut Etnicus, quia natura divina non est universalis, et tamen est apta predicari de multis, nempe de tribus divinis personis. Recte loquens utramque definitionem corriges, addendo utrique multiplicabiliter, quo termino addito, admittatur definitio. Vides hinc. Universale logicum et metaphisicum solum formaliter distinqui, quia unum aptum esse in multis multiplicabiliter, et unum aptum predicari de multis multiplicabiliter idem realiter est. Si enim est aptum esse, est realiter predicabile, et si est aptum predicari est realiter aptum esse.

Animadverte 1.o ad universum tam logicum, quam metaphisicum duo requiri, primum est unitas, quia natura universalis reddatur aliquo modo una. Secundum est multiplicitas, si cujus natura quae sit una, aliqua ratione multiplicetur. Sic natura humana est una aliquo modo, et multiplicatur etiam per identitatem, et veram afirmationem in singulis hominibus v.g. Petro, Paulo &. Animadverte 2.o dici multiplicabilem naturam, et non dici multiplicatam, quia non requiritur, quod natura actu multiplicatur, sed multoties sufficit, quod posit multiplicari, in quo sensu natura mundi, et solis potest dici universalis, et multiplicabilis in plures mundos, et soles posibiles.

Jam dubium primum est de multiplicitate. An, et quomodo multiplicitas, quam importat definitio universi conveniat naturae universali? Resolvo, convenire absolute, et rigorose, sed juxta naturam universi. Etenim si universum requirit multiplicitatem actu existentem, ut hoc universum album, debet rebus albis convenire multiplicitas, periderattatem actu existentem. Si vero universum non requirat multiplicitatem actu existentem, ut hoc universum homo, non requiritur identitas actu existens, sed sufficit posibilis. Sic esse hominem vere, et absolute potest afirmari de antichristo, et est absolute vera hec propositio: Antichristus est homo.

Dubium secundum est de unitate. An etiam a parte rei posit universo convenire unitas? idem est ac querere an posibile sit universum, quod penes omnia sua constitutiva existat a parte rei? De Platone creditur vulgo dixisse existere in conabulis naturas universales, eternas, ingenerabiles, quae vocantur ideae platonicae, et inde decendere ad constituenda composita. Solemne delirium ideo magnus Augustinus philosophus platonicus asserit libro 83 questionum questione quadragesima tercia, Platonem locutu

fuere non proprie, sed metaphorice, ut volebat. Nam alias in hac re sententias, quas recensere, et longum, et nimis importunum foret. Eas vero exponam, quae a suis receptae hinc inde exagitantur.

Scotistae la-
tur dicunt, naturam v.g. humanam formaliter ex natura rei praescissam seu distinctam ab omni differentia, aut singularitate esse unam negative, hoc est non multiplicem; alii tamen ex illis volunt esse unam positive, hoc est identificata a parte rei cum omnibus individuis. Haec sententia, quia fundatur in distinctione scotica jam rejecta impugnanda est omnibus argumentis ibi adductis, et praeterea sic: ergo natura humana est formaliter ex natura rei eadem in omnibus: sed formaliter ex natura rei est distincta a petreitate: ergo etiam est realiter distincta a petreitate. Probatur haec consequentia: existente paulo, et non existente petro existit formaliter ex natura rei natura humana petri, quia eadem est ex natura rei, ac natura humana pauli; sed non existit petreitas: ergo natura humana petri, et petreitas separantur, atque adeo distinguuntur realiter. 1°

Thomistae volunt naturam humanam fieri unam formaliter per ens rationis fictum, et ut alii dicunt, per ens rationis non fictum. Si volunt istui fieri unam per cognitionem praescindentem a singularitate, et multiplicitate et in hoc sensu intelligunt ens rationis non fictum, jungemus dexteras si aliud intendant, rejiciendi sunt argumentis datis supra ubi de ente rationis ficto thomistico, et de praecisione objectivali 1°

Alii denique communiter admittunt, unitatem universi esse unitatem formalem, hoc est cognitionem attingentem per modum unius naturam multiplicem a parte rei, qua cognitione, illa quae, a parte rei sunt plura, fiunt formaliter unum. Quare universum inadequate, seu penes multiplicitatem existit a parte rei, et inadequate, seu penes unitatem existit dependenter ab intellectu, adequate vero nec a parte rei nec dependenter ab intellectu. Haec est nostra conclusio. 1°

Probatur 1°

universum simul est unum, et multiplex; sed hoc esse non potest realiter: ergo est unum formaliter, et multiplex realiter. Major patet ex ipsa definitione universi; minor certa videtur; implicat enim eandem rem esse unam, et multiplicem a parte rei; mutuo enim se excludunt unum, et multiplex, adeoque quod est unum esse non potest multiplex, et quod multiplex est nequit esse realiter unum: ergo si universum debet esse unum, et multiplex, necesse est esse unum formaliter, et multiplex realiter, hoc est naturam multiplicem fieri unam per cognitionem praescindentem a singularitate. 1°

Probatur 2° ad universum requiritur strictior pluralitas: ergo etiam strictior unitas; sed non potest esse strictior plura-

litas quidditatis, nec est tri^a^ unitas, quam formalis: ergo unitas universi est unitas formalis. 2^a^ pars minoris probatur. unitas rationis ejus naturae alter multiplex est, vel singularitate, et strictior unitas; sed talis est unitas formalis, quae est cognitio v.g. homo, qua natura humana est praecisa ab omni singularitate, et multiplicitate, quia naturam dicit: ergo.

196 Confirmat id ipsum Aristoteles vocans saepe unitatem universi rationa et intentione abstrahente, seu praescindentem naturam multiplicem a suis differentiis. et libro de anima ait: intellectum esse, qui facit universalia in rebus: divus Thomas opusculo 56 dicens: universale est unum in cognitione: et paulo inferius ait: oportet, quod universale sit universale per praedictam unitatem. Rursus concludit: est igitur universale unum unitate cognitionis, ita quod de ratione universalis non requiritur nisi illa unitas rationalis; et propter hoc dicit aristoteles: quod est unum in multis scilicet cognitum. haec divi thomae lucidentissima testimonia nostram confirmant sententiam.

197 Ex dictis infertur universale esse concretum ex subjecto, et forma. subjectum suscipiens denominationem universalis est natura realis, quae multiplicata est a parte rei; forma denominans est cognitio v.g. homo, per quam natura praescinditur a multiplicitate reali, et ab hac forma denominatur natura una, et communis pluribus. una inquam, quia apparet non dicens multiplicitatem, nec singularitatem, et communis pluribus, hoc est praedicabilis de singulis individuis sub illo universali contentis.

198 Notandum est denique aliud esse loqui de natura humana secundum se, et aliud valde diversum, loqui de eadem ut est universalis. nam primo modo considerata natura solum est fundamentaliter universalis, hoc est, praebet intellectui fundamentum ratione suae similitudinis in omnibus individuis, ut cognoscatur per cognitionem formaliter identificantem omnia individua talis naturae. 2^o^ modo considerata dicit formaliter esse metaphysicum vere affirmabile de omnibus individuis naturae; affirmabile, inquam, intensive, hoc est penes omne quod dicit; non extensive, hoc est penes omne, quod attingit. et hac de causa est vera haec propositio: petrus est homo; et secus falsa, ista: petrus est omnes homines: petrus est collectio omnium hominum. [illegible]

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~

~~Arguitur 2^o^ pro Platone~~ [illegible]

199 Sectio secunda objectionibus respondet

Arguitur 2^o^ pro Platone universalia sunt priora, et superiora singularibus: ergo sunt ante productionem singularium. respondeo

distinguo antecedens, sunt priora, et superiora tempore nego; conve-
nientia, concedo antecedens, et nego consequentiam. A esse prius tempo-
re B est A existere nondum existente B in quo sensu universalium
non est prius singularibus. Esse vero prius prioritate convenientiae est
illud convenire superioribus. Ex exemplum. Petrus, Paulus & per cog-
nitionem homo sunt praedicatum metaphisicum prius, vel superius, loco
petro, paulo &, quia conceptus homo convenit petro, paulo, et omnibus
hominibus: non vero illis convenit conceptus, petrus, paulus. 200

Arguis 2°.

pro scholistis. homines sunt a parte rei ejusdem naturae: ergo natu-
ra humana a parte rei est una. Probatur consequentia. natura, de
cujus aliqua a parte rei non sunt ejusdem naturae, ut natura homi-
nis, et leonis non est una: ergo pariter natura, de cujus homines sunt
a parte rei ejusdem naturae, est una; respondeo distinguo antecedens. ho-
mines sunt ejusdem realiter naturae, nego; naturae realiter distinctae,
et separatae, potentis tamen fieri unu, et eadem per cognitionem ho-
mo, concedo antecedens, et nego consequentiam ad cujus probationem
distinguo consequens; est realiter una, nego consequentiam; est funda-
mentaliter una, concedo consequentiam. Ubi enim tam est realiter multi-
plex illa natura, de cujus aliqua sunt a parte rei ejusdem funda-
mentaliter naturae, ac illa de cujus non sunt ejusdem fundamentali-
ter naturae. totum ergo discrimen stat in similitudine unius 201
et dissimilitudine alterius.

Instas, atqui natura humana est a par-
te rei non solum fundamentaliter, sed etiam formaliter specie una
ergo. Probatur 1°. natura quae est a parte rei, et non est multiplex
est una. sed natura humana est a parte rei, et non est formaliter spe-
cie multiplex: ergo est formaliter specie una. Omissa majori, retor-
queo sic: atqui natura humana est a parte rei, et non est formaliter
multiplex specie leonina: ergo est formaliter una specie leonina? nego
itaque assumptum scilicet quod sit a parte rei formaliter; hoc enim esse
solum potest habere dependenter ab intellectu. 202

Instas iterum natura non
potest dici una per conceptum mentis, quando ante hunc natura est una:
atqui ante conceptum mentis una est natura: ergo non est una per con-
ceptum seu cognitionem. Probatur minor. non ideo objectum est unum, quia
conceptus est unus, sed e contra; ideo conceptus est unus, quia objectum est unum.
2°. quia sic eadem natura a diversis hominibus distinctis conceptibus repraesen-
tata, esset plura universalia; nam multiplicata forma dante unitatem
multiplicatur unitas. 203

Respondeo cum eximio negando minorem de unitate
formali, de qua nunc loquimur; licet verum sit, naturam esse unam uni-
tate fundamentali; et in eodem sensu nego primam probationem. ad

secundam dico, formam, qua propriè natura denominatur sic una, non esse ipsum Conceptum mentis. Sed esse negationem Communicabilitatis ad plures naturas sic comunes, quæ negatio fundatur in abstractione mentis; eadem vero est talis negatio, sive hæc abstractio fiat per unum, sive per varios Conceptus formales numero distinctos. Clarius. non sunt plura universalia, quia una eademq. est materia, licet formæ sint plures. patet exemplo parietis, qui, licet inhærentur ei plures albedines, non ideo esset plura alba.

204 Argues 3.º singulare, et universale sunt correlativa: ergo si æternum datur à parte rei, datur etiam æternum. Instâ argumentum. Unitas, et multiplicitas sunt Correlativa: ergo datur à parte rei multiplex deus sicut datur unus Deus? Respondeo distinguo antecedens; sunt Correlativa in existendo, nego; in aliquo genere relationis, Concedo antecedens, et nego consequentiam. Sic referuntur ens reale, et fictum. Nota. licet res omnes à parte rei sint singulares, adeoq. habeant gradum oppositum universalitati, non repugnat, quod ex parte actus illis conveniat universalitas, quia hæc est predicatum omnino extrinsecum naturæ, quam res non immutat.

205 Argues 4.º et directè contra nostram sententiam. Si unitas universi esset cognitio præscindens, universum non esset predicabile de suis inferioribus. v.g. universum homo de petro, paulo &c: ergo unitas universi non est cognitio. Probatur antecedens. Imprimis universum penes cognitionem homo non esset predicabile de petro, nam falsa est hæc propositio: petrus est cognitio homo; deinde neq. penes materiam universi, nam hæc est colectio omnium hominum. et falsa est hæc propositio: petrus est colectio omnium hominum. tandem neq. penes cognitionem, et materiam, quia falsa etiam est hæc propositio: petrus est cognitio homo, et colectio omnium hominum: ergo. Preocupata est hujus argumenti dificultas in calce sectionis antecedentis.

206 Respondeo tamen nego antecedens, ad ejus probationem dico, esse predicabile de inferioribus id, quod cognitio dicit formaliter intensivè, non autem id, quod dicit extensivè. Solum enim convenit id, quod dicit cognitio, inferioribus, modo, quo inferiora talem rationem participant; et cum petrus v.g. non sit omnes homines, sed unus, et determinatus homo, convenit illi ratio homo non secundum omne id, ~~quod~~ ad quod extenditur, nempe omnes homines, sed solum secundum id, quod intensivè dicit, scilicet esse homo.

7 Hinc infertur 1.º universum esse concretum materiale adjectivum importans pro materia, et in recto naturam, et in obliquo, et pro forma cognitionem. 2.º cognitionem facere universum in genere causæ formalis, seu forma, denominantis unam naturam multiplicem. 3.º hanc formam debe

re praescindere sicut ab omni multiplicitate, sic ab omni singulari
tate. ita isti actus: aliquis homo: omnis homo non sunt forma uni
versi; bene vero isti: Civitas: Principium sensationum: Exercitus, et
alii, quia non dicunt multiplicitatem civitatum, principiorum, exer
cituum; sed civium, sensationum, militum. Tandem formam univer
si fieri posse per quamcumque mentis operationem. 208

S.° 3.a An universale maneat in actuali praedicatione

Naturam multiplicem, seu multiplicabilem a parte rei esse materiam
universi, certissimum est, et hanc naturam debere fieri unam per
cognitionem, quae illam praescindat non modo a singularitate, sed etiam
a multiplicitate, modo diximus. Haec cognitio sic praescindens vocatur
forma universi. dubium est igitur an actualis praedicatio naturae alic
unde universalis de subiecto singulari sit forma apta ad universum? 209

Actualis praedicatio est haec v.g.: Petrus est homo, in qua, ut vides natura
quae aliunde erat universalis per li homo praedicatur de singulari
nempe Petro, et de hac quaeritur, an sic praedicata de Petro, maneat uni
versalis in illo actu? Omnes supponunt, propositionem, de qua est quaestio
esse mentalem, et realiter indivisibilem: nam aliter non locus esset dis
putationis: alii dicunt attingi per illum actum naturam communem, et
hanc manere universalem; alii utrumque negant; alii demum per
mittunt attingi naturam communem, sed negant manere universalem.
quid nos? 210

Sit Conclusio. Actualis praedicatio naturae aliunde universalis de
subiecto singulari (licet attingat naturam communem) non est for
ma apta ad universum. ita acutissimus pater Losada cum multis ex
nostris, et Thomistis contra multos etiam utriusque scholae cum illustrissi
mo Palanco. Probatur 1.° Forma apta ad universum debet ita propo
nere naturam indifferentem, ut sit in hoc, et in quocumque singulari
ut omne, quod formaliter intensive dicit, adaequate, et vere praedicabile
sit de singulis inferioribus; sed talis non est actualis praedicatio: ergo 211

Major constat ex dictis de forma apta ad universum, quae ut de
bet praescindere ab omni multiplicitate, sic etiam ab omni singulari
tate. Minor probatur. actualis praedicatio: Petrus est homo
proponit naturam humanam contractam, et formaliter identificatam
cum Petro; atqui actus sic proponens naturam humanam, non ita
indifferentem illam proponit, ut sit in hoc, et in illo, et quocumque
singulari, ut omne, quod formaliter intensive dicit adaequate, et vere
praedicabile sit de quocumque inferiori: ergo. 212

Dicunt aliqui: jam
proponit naturam indifferentem, et vere praedicabilem de quocumque singu

lari in prædicando, seu in prædicato; licet non in subjiciendo, seu in subjecto, atq. adeo manere universale in prædicando, licet non in subjiciendo. Contra, et probatur 2.° conclusio. In illo actu prædicatum formale est realiter idem ac subjectum formale; hoc enim ab omnibus supponitur: ergo quidquid exprimit, et formaliter identificat subjectum formale, exprimit, et formaliter identificat prædicatum formale; atqui subjectum formale ita exprimit, et formaliter identificat, ut non præscindat à singularitate naturæ: ergo neque præscindit à singularitate naturæ, prædicatum formale.

293 Respondent iterum tam subjectum formale, quam prædicatum formale hujus actus facere universum prædicatum objectivum, non vero subjectum objectivum, quia totus actus prædicat præscindendo omnes homines, et subjicit determinate Petrum. Prædicare præscindendo omnes homines (dicunt) esse ita prædicare, ut non adsignatur prædicato formali nota singularitatis, ut in his actibus: Petrus est hic homo: Petrus est Petrus. Sed contra quia sic idem actus præscinderet formaliter et formaliter non præscinderet à singularitate.

94 Probatur 3.° paritate hic actus: animal rationale, non facit universum respectu omnium animalium; neque iste Petrus est hic homo respectu omnium hominum ergo nec iste Petrus est homo. Probatur consequentia. Non magis identificatur in primo actu, animal cum rationale, et in secundo expressio hic cum homo, quam identificatur actus: Petrus est homo in prædicando cum ipso actu in subjiciendo: ergo si illa identitas in primo et secundo actu tollit universalitatem, etiam tollit in 3.° Respondent per actum: Petrus est homo contrahi naturam humanam ad Petrum, non determinate, sed indeterminate, quia in prædicando non dicitur quædam natura determinate conveniat Petro.

95 Contra et probatur 4.° ex divo Thoma opusculo 56.° dicente: homo qui prædicatur de Platone idem est, quod Plato: sed Plato nec est natura universalis, nec indeterminata: ergo. Demum forma universi ita debet præscindere ab omni singularitate, et multiplicitate, ut natura, prout apparet per actum, sit vere prædicabilis de omni singulari, dempto nemine. Ex hac prædicatio duo importat constitutiva. Primum positivum, et est attingere omnem naturam. Secundum negativum, et est non dicere singularitatem, vel multiplicitatem. Primum permittimus convenire illi actui: Petrus est homo; secundum vero omnino repugnat, quia non dicere est negatio malignantis naturæ, excludens ab actu omnem omnino expressionem multiplicitatis, et singularitatis.

6

Sectio 4.ª Argumenta solvuntur

Urgeo 1.º si actualis predicatio naturæ comunis de subjecto singulari amittit universalitatem, nullum est universale; sed hoc est absurdum: ergo. Probatur major. In illa ipotesi nullum universale est predicabile: ergo nullum est universale. Probatur antecedens. Catenus universale est predicabile, quatenus potest de inferioribus predicari; sed si dum actu predicatur, amittit universalitatem, non potest predicari de inferioribus, quia non potest aliter predicari nisi per actualem predicationem: ergo. Roboratur. Vel universale est predicabile de inferioribus ita ut, quando de illis predicatur non amittit universalitatem vel non: si primum habetur intentum: si secundum: ergo universale nunquam est predicabile. 2.º

Urget efficacius Pater Garcia. Universale solum est predicabile, modo quo de inferioribus potest predicari; sed per nos universale non potest predicari nisi per actualem predicationem quia tunc non est universale; ergo nullo modo est predicabile. Quid ultra? exclamat jam securus de victoria, et pro coronide redigit nobis in memoriam axiomata illa: nulla est potencia, quæ nunquam reduci potest ad actum: nulla est potencia ad actum destructivum sui.

Respondeo igitur ad argumentum, nego majorem, et antecedens probationis, ad cujus probationem concessa majori, distinguo minorem: non potest predicari de inferioribus servando universalitatem concedo; illam amittendo, nego minorem, et consequentiam. Ad confirmationem nego primam partem dilematis. Ad urgenciam Patris Garciæ, dico, universale, modo, quo est predicabile de inferioribus, non esse predicabile servando universalitatem, sed illam amittendo, quia ut expresse asonit conclusio nostra natura q.ª aliunde erat universalis, amittit universalitatem in actuali predicatione. Axiomata illa vera sunt sed non in omni sensu, quo usurpari possunt.

En exempla: Domus potest ruere, et actus hujus potenciæ est ipsa ruina domus, per quam tollitur illa potencia, cum enim sit realiter identificata cum domo, perit pereunte domo. Homo potest mori et actus hujus potenciæ est mors per quam, ut perit homo, sic ejus potencia, non enim nisi inepissime potest dici: homo mortuus potest mori. et hujus generis sunt plurimæ potenciæ, et omnes illæ esse debent, cujus actus esencialiter est ipsa totalis destructio entis cum quo illa potencia identificatur. Sic igitur natura humana est predicabilis de inferioribus, licet q.do de illis predicatur, non maneat universalis; ut homo est mortalis, et per exerci

cum mortalitatis amitteret mortalitatem.

Argues 2º. hic actus: Petrus est homo in eo differt ab hoc: Petrus est homo Petri, quod ille in predicando præscindit formaliter naturam humanam ab omnibus ejus differentiis contractivis: ergo facit universale in predicando. Permisso antecedenti nego consequentiam. duplex est præcisio formalis. 1ª distinctionis formalis consistens in cognitione ita præscindente, ut distinguat formaliter id, quod præscindit, ab eo, a quo præscindit formaliter. 2ª est præcisio attingentiæ, consistens in actu, qui aliquo tantum modo non dicit formaliter differentiam. sic præscindit ille actus: Petrus est homo, qui non omni modo, sed solum modo, quo predicat non dicit formaliter differentiam naturæ prædicatæ. hinc ex his præcisionibus secunda non sufficit ad universum quia non excludit omnem singularitatem, et multiplicitatem. 1ª requiritur, et sufficit quia est exclusio omnis omnino singularitatis, et multiplicitatis.

Argues 3º. si actus: Petrus est homo attingit naturam communem, illam denominat præcisam ab omni differentia: ergo. Probatur antecedens. si attingit naturam communem illam denominat convenientem pluribus; sed natura conveniens pluribus est præcisa ab omni differentia: ergo. Probatur minor. natura conveniens pluribus non est formaliter singularis: ergo est præcisa ab omni singularitate, seu differentia. Respondeo distinguo primum antecedens, denominat præcisam præcisione attingentiæ, concedo; præcisione distinctionis formalis, nego antecedens; ad ejus probationem distinguo similiter majorem, et contra minorem, ad cujus probationem dico naturam convenientem pluribus præcisione attingentiæ non esse, aliquo tantum modo, formaliter singularem. Itaque aliud est, naturam esse communem, esse præcisam, esse convenientem pluribus; et aliud est esse præcisam ab omni singularitate, et multiplicitate. Primum est attingi omnes naturas, et aliquo modo non exprimi singularitatem, aut multiplicitatem earum, quod, ut supra diximus non sufficit ad formam universi, et patet in hoc actu: Petrus est aliquis homo. 2um est. nullo modo dici multiplicitatem, aut singularitatem naturæ, et hoc est constitutivum essentiale formæ universi, ut toties dictum est.

Sic veritas actus non est aliqua, sed omnis conformitas cum objecto; et sicut actus, qui aliquo modo conformatur cum objecto non dicitur aliquo modo verus, sed aliquo modo non falsus; ita actus attingens præscindo omnes naturas non est aliquo modo forma universi; sed solum aliquo modo est

non dicens singularitatem. Uno verbo. Forma universi debet omni modo presindere ab omni singularitate, et multiplicitate.

Argues 1°. non minus oponuntur determinate, et indeterminate, quam universale, et singulare; sed ut natura sit formaliter indeterminata non debet attingi per actum excludentem omnem determinationem: ergo ut sit universalis non debet attingi per actum excludentem omnem singularitatem. Major videtur certa. Minor convincitur, nam ut nos permittimus, hic actus: Petrus est homo, determinate subjicit Petrum, et indeterminate predicat omnes naturas, adeoque naturam Petri de Petro. Respondeo nego majorem, cujus ratio clare patet in hoc actu: Petrus est aliquis homo, qui, ut omnes fatentur attingit determinate Petrum, et indeterminate disjunctive omnes homines, et illos attingendo attingit naturam universalem, quin faciat universum, quia non excludit omnem singularitatem et multiplicitatem.

Ratio est, quia 2°. inveniuntur in eodem actu expressio singularitatis et multiplicitatis, utraque sese attemperat, et suo peculiari modo attingit objectum, quin una vincat, seu contrahat aliam. Hinc est, quod idem objectum nempe Petrus, determinate subjicitur, et indeterminate predicatur per actum: Petrus est aliquis homo; nam indeterminate attingi est aliquid positivum, et non constituitur per non determinate attingi. Verum presindi presicione distinctionis formalis cum sit nullam dicere singularitatem, vel multiplicitatem, importat quid negativum et contradictorie oponitur, huic quod est dicere aliquam multiplicitatem, vel singularitatem.

Inferes 1°. naturam humanā propositam per actum: Petrus est homo, non posse definiri per solum animal rationale, sed debet ulterius addi expressio individui de quo predicatur; quia ut vides non convenit nisi soli Petro. 2°. nec facere universum actum hunc: homo est Petrus; vel homo est animal, quia non presindit a singularitate, et multiplicitate. Similiter in definitione non fieri universum genericum, sed specificum. quare hec definitio animal rationale solum facit universum speciei hominis. 3°. nos neque negare, neque concedere, sed solum permittere per actualem predicationem attingi naturam comunem, quod si aliquis id indubium velit vertere, dices omino. Tandem congnum esse discrimen inter naturam comunem, et universale: illa enim non excludit expressionem singularitatis, et multiplicitatis, quam hec debet omnino excludere

L.r 3.us De univers. in particulari

Prooemium

Sequimur auctorem in hoc libro Malcum Porfirium religione primo christianum, postea vero infamem transfugam. Caeterum Porfirius philosophus fuit de secta Platonis minime contemnendus, et cum videret in Aristotelis organo saepe fieri mentionem quinque universalium, nempe generis, speciei, diferenciae, proprii, et accidentis; scripsit Isagogem quamdam, seu instructionem, in qua haec universalia explicavit, eamque dicavit Chrisaorio patricio Romano. Haec sunt quinque universalia, seu praedicabilia, quae communiter ab Authoribus assignantur, et de quibus modo acturi sumus.

Disputatio 1.a De quinque universalibus

Sectio 1.a quid, et quotuplex sit genus

Genus est primum praedicabile, et definitur a Porfirio: Quod de pluribus praedicatur specie diferentibus in eo, quod quid. Explico hos terminos confusos. praedicari in quid est praedicari essentialiter: praedicari non in quid est praedicari extra essentialiter: praedicari in quod est praedicari substantive, seu per se: praedicari in quale est praedicari adjective, seu ut adjacens alteri. Unde praedicari in eo, quod quid est praedicari substantive essentialiter. Jam ex his clarius cum communiter Doctorum definitur genus sic: praedicabile, ut pars materialis essentiae specificae. Praedicabile est genus quo convenit cum aliis praedicabilibus. Et ut pars materialis est diferencia qua diferet a caeteris, quia non sic sunt praedicabilia.

Sed rogas, quare genus dicitur pars materialis, a diferencia pars formalis? Respondeo ob similitudinem, quam illud habet cum materia prima, et diferencia cum forma substanciali. Sicuti enim omnia composita conveniunt in materia, et diferunt per formas, ita species, quae sunt composita metaphisica conveniunt in genere et diferunt per diferenciam, quia diferencia determinat genus ad hanc, vel illam speciem, sicut forma substancialis determinat

materiam ad hoc, vel illud compositum physicum, en exemplum omnium predicabilium in homine.

Animal est genus, quia predicatur de homine tamquam pars materialis, qua convenit cum brutis. Rationale est differentia, quae definitur: predicabile, ut pars formalis essentiae specificae: predicatur enim de homine tamquam forma, qua differt a brutis, et simul cum genere constituit speciem determinatam, scilicet animal rationale, seu hominem. igitur animal rationale est species, quae definitur: predicabile ut tota essentia notabilis.

Risibile est proprium, quia definitur: predicabile, ut predicatum extra essentialiter consequens essentiam specificam: predicatur enim de homine tamquam quid non constituens essentiam metaphysicam hominis, illi tamen conveniens ex natura sua. album est accidens, quia predicatur de homine tamquam quid adveniens essentiae hominis accidentaliter, et definitur: predicabile, ut predicatum extra essentiale non consequens essentiam specificam. tandem individuum est animal rationale petrinum, quia petreitas, quae est differentia non notabilis, contrahit essentiam ad determinatum hominem, nempe petrum, et definitur: compositum ex specie et differentia non notabili.

Genus dicitur supremum, quando supra se non habet aliud genus, v.g. ens, possibile, cognoscibile etc. dicitur interjectum, seu medium, quando supra se, et infra se habet aliud, v.g. substantia, quae supra se habet ens, et infra se vivens. dicitur infimum, quando supra se habet plura et nullum infra se, v.g. animal, quod supra se habet substantia, vivens, ens, et infra se nullum habet genus, sed tantum species, v.g. hominem et brutum, et individua v.g. hoc animal, illud animal. similiter de differentia discurre.

Dices 1º. si genus definiretur, definiretur per genus, sed hoc implicat, quia definitum ingrederetur definitionem: ergo. Respondeo nego minorem, non enim implicat definiri genus per definitionem constantem genere, quod enim repugnat est genus sub hoc conceptu ingredi suam definitionem, quam certe non ingreditur sub illo conceptu. Instas 1º. ergo si definiretur per genus, hoc genus constaret alio genere, et sic in infinitum. Nego consequentiam, quia perveniendum esset ad genus ens, quod est ultimum. Instas 2º. si genus definiretur esset species, quia constaret genere, et differentia, sed non est species: ergo. respondeo distinguo minorem, non est signate

species, concedo minorem; exercite, nego minorem. sic homo non est signate species; non enim definitur per esse speciem et tamen fit exercite species per actum animal rationale.

Rogas quid definiatur per definitionem generis? Genus, ut habes in fonte sectionis proxime de universo, est concretum im portans pro materia naturam communem, et pro forma cogni tionem, vi cujus illa natura redditur predicabilis de inferioribus utrumque. hoc definiri per definitionem generis certissimum est; alias enim non explicaretur ejus essentia, que cum sit con cretum resultat non solum ex natura, seu materia, sed etiam ex cognitione ut forma.

Que vero pars hujus concreti defini atur in recto, et que in obliquo? non adeo certum est; thomiste enim, et schotiste, volunt definiri in recto cognitionem genericam quam vocant secundam intencionem, seu genereitatem, et in obliquo naturam communem. Nos vero hanc statuimus conclusionem: per definitionem generis definitur in recto natura et cognitio in obli quo.

Probatur 1º. id definitur per definitionem generis, cui prin cipalius convenit esse genus; sed esse genus principalius con venit nature in recto, et cognitioni in obliquo: ergo. Concedunt adversarii majorem. Probatur ergo minor. Esse genus prin cipalius convenit illi, cui convenit esse predicabile; sed esse pre dicabile solum convenit nature in recto, et cognitioni in obli quo: ergo. Major est certa. Probatur minor, esse predi cabile nullo modo convenit cognitioni: ergo. Antecedens pa tet, quia natura est, que sola predicatur de pluribus specie differentibus et non cognitio, sicut enim vere dici tur homo est animal. leo est animal; falso diceretur homo est cognitio animal.

Confirmatur paritate aliorum concretorum accidentalium, id, de quo directe afirmatur album non est albedo, sed subjectum, cui albedo inest: id de quo dicitur sanctum, non est sanctitas, sed subjectum in quo reperitur, licet subjectum reddatur album ab albedine, et sanctum a sanctitate: ergo pariter licet natura gene ris a cognitione reddatur predicabilis, non cognitio, sed na tura est predicabilis, adeoque definita in recto, et ut quod, et cognitio in obliquo, et ut quo. Pre oculis habe, nomine secunde intencionis in hac questione significa ri a thomistis cognitionem, vi cujus genus constituatur univer sale, seu predicabile.

Oponunt 1º. definitum in definitione generis est id, cui convenit esse genus: sed hoc solum convenit essentialiter cognitioni: ergo. Respondeo nego minorem; nec etiam soli cognitioni, nec soli naturae convenit. Sicut esse album nec soli albedini, nec soli convenit parieti sed utrique simul sumptis. Oponunt 2º. genus dicit in recto id, per quod ab aliis distinguitur, sed distinguitur per cognitionem: ergo. Respondeo nego majorem, nam in recto dicit id, quod est vere praedicabile, et hoc est sola natura. Oponunt 3º. Si definiretur in recto natura, haec duo praedicabilia Color, ens immateriale essent specie diversa, dicunt enim naturas specie diversas: sed sunt ejusdem speciei, nam utrumque est genus: ergo. Respondeo esse diversa specie phisica, non vero logica, quia eodem modo considerantur a logica, nempe ut genus et diverso modo a phisica.

Oponunt 4º. genus est praedicabile logicum; sed praedicabile logicum principalius, et in recto importat cognitionem, quia ad logicam spectat cognitio: ergo. Respondeo nego minorem. Genus, quia est praedicabile logicum clarius dicit, non vero principalius importat cognitionem genericam. Dicitur autem logicum non quia adaequate ad logicam pertineat, nec quia imponeretur in recto cognitio generica, sed quia illa cognitio pertinet ad logicam, scilicet per accidens. Haec, quae de genere primo praedicabili diximus omnibus praedicabilibus convenire possunt, et similiter de illis resolvendum.

Sectio 2ª. Dubiola de genere resolvuntur

1um est, an casu, quo tantum essent possibilia duo individua diversae speciei v.g. unus homo, et unum brutum, animal esset genus ad hominem et brutum? Affirmo, quia esset praedicabile, ut pars materialis essentiae specificae. Dices: tunc animal rationale non esset species; non enim haberet inferiora, de quibus posset praedicari. Respondeo; non esset species praedicabilis, esset tamen more subjicibilis sic de facto ens est genus praedicabile de Deo, et creaturis, et qua parte praedicatur de Deo non praedicatur de specie praedicabili, sed solum subjicibili, non enim sunt plures Dii. 2um est an genus praedicetur ut pars, an ut totum potentiale, vel ut totum actuale? Respondeo omnibus istis modis praedicari posse, servata solum generis conditione; amittet vero praedicabilitatem in actuali praedicatione ut diximus de universo homo.

3um est, quomodo praedicetur de suis individuis? Individuum aliud est completum ex genere et differentia notabili, et differentia non notabili, v.g. animal rationale Petrinum; aliud est incompletum, seu importans

differenciam non notabilem. V.g. hoc animal. dico ergo genus v.g. animal prædicari ut genus de individuis completis patet in hoc actu: petrus est animal, ubi animal non prædicatur ut tota esentia, sed ut pars materialis esentiæ notabilis petri. dico deinde de individuis incompletis prædicatur genus animal v.g. ut tota esensia notabilis, ideoq. ut species. patet etiam quia est tota esensia notabilis respectu hujus actus: hoc animal.

Dum est an genus prædicetur immediate de individuis tam completis, quam incompletis? negant thomistæ, de completis, et afirmant de incompletis; ego vero de utroq. afirmo, et probo sic, illa prædicatio est immediata, qua prædicatum tribuitur subjecto nulla alia mediante expresione alterius prædicati; sed sic se habet hæc prædicatio. petrus est animal, quæ est prædicatio de individuo completo, et etiam hæc alia: hoc animal est animal, quæ est de individuo incompleto: ergo genus potest de utroq. prædicari immediate.

Dubium ultimum est: an in unica specie cæteris imposibilibus genus conservari posit? est quærere, an v.g. animal in definicione hominis eset genus, si nullum aliud eset posibile animal, nisi animal hominis. ex thomistis multi afirmant. verum res hæc indubium verti minime potest, dicente divo thoma 1º. posteriorum lectione 12ª: non est posibile inveniri aliquod genus, cujus unica tantum sit species. Quid hæc autoritate clarius? thomistæ tamen oppositum divo thomæ defendunt.— Qua fide, et ratione? ipsi viderint.

Id ipsum docuit Aristoteles 1º. thopicorum capite 3º. dicens: Quoniam autem omnis generis plures species, inspiciendum si non contingat alteram speciem ese dicti generis, nam si non est, manifestum quoniam non erit genus omnino, quod dictum est. Patet id ipsum ex definitione generis, et ulterius patebit ubi de specie ut refertur ad genus. hæc est etiam mens illustrisimi Solanco, et debet ese omnium, qui res bene examinet.

Sectio tertia de differencia formali specíphica, proprio, et accidente

Non est quæstio, ut titulus ipse profert, de quacumq. differencia, ut accidentali, extra esensiali, numerica, &. sed de formali metaphisica, in qua esensia v.g. hominis difert ab aliis, et quidem specie. hæc enim sola, est universum prædicabile, quod in præsenti inquirimus. dicitur divisiva, et contractiva, quia est membrum divi

dividens et contrahens genus v.g. animal ad determinatam speciem v.g. hominem. dicitur vero constitutiva quia simul cum genere constituit speciem; et tandem dicitur universalis, seu predicabilis, si comparetur cum inferioribus.

Porfirius illam definivit sic: Quod predicatur de pluribus specie diferentibus in quale quid, hoc est essentialiter adjective. Clarius, brevius, et verius eam illam definies sic: predicabile ut pars formalis essentiae speciei. Hujus definitionis explicationem habes, ubi definitionem generis explicavimus. Sicut enim genus predicatur ut pars materialis ad similitudinem materie in composito phisico, ita diferencia predicatur ut pars formalis ad similitudinem forme in eodem composito. De diferencia infima, media, et supraema dicere, ut de genere diximus numero 232.

Rogas respectu quarum diferencia sit predicabilis, seu universalis? Respondeo, nec esse predicabilem de superioribus, nec de equalibus, sed de inferioribus, hoc est de individuis illius speciei, quam constituit. En exemplum. Diferencia rationale non est universalis respectu animalis, quia magis se extendit, quam rationale; nec de homine quia eque se extendit, quam homo, cum hoc sit species, quam rationale constituit; est vero predicabilis de Petro, Paulo, Joanne &. quia magis se extendit, quam ipsi, et quodlibet individuum humanum, et vere illis omnibus convenit.

Proprium seu proprietas definitur: predicabile ut predicatum extra essentiale consequens essentiam specificam. Dicitur extra essentiale, quia formaliter distinguitur ab essentia: dicitur consequens essentiam, quia ex illa debet inferri, illatione tamen materiale. Jam ergo proprium dicitur quatuor modis. 1º modo est, quod convenit soli non tamen omni, et hoc modo proprium est homini esse musicum, quia soli homines, non tamen omnes sunt musici. 2º modo est quod convenit omni et non soli, et hoc modo homini proprium est esse bipedem, nam preter omnes homines etiam aves sunt bipedes. 3º modo est, quod convenit omni, et soli, sed non semper, atq. hoc modo convenit homini actu videre.

Proprium denique in 4º modo est, quod convenit omni, et soli, et semper, et sic proprium est homini esse risibilem. De hoc proprio loquitur tradita definitio et de hoc agunt Philosophi. est enim proprium predicabile de omnibus suis inferioribus, et convertibile cum essentia; verae enim infertur sic: est risibile: ergo est homo: est homo: ergo

est visibilis. Dicitur etiam proprium metaphisicum, ut distin guatur à proprio phisico, quod nequit mutuo convertí cum esensia, quia ab illa realiter distinguitur. Sic calor est pro prium ignis, et falsa esset hec illatio: est calidum: ergo est ignis, ut patet.

Accidens definitur predicabile ut predicatum extra esensiale non consequens esensiam specificam. Vides quantum differat accidens à proprio, cum hoc consequatur: illud vero non consequatur esensiam specificam. Rogas vero quomodo predicetur accidens? res pondeo 1º predicari in concreto; nam non dicitur: paries est albedo sed albus. respondeo 2º accidens comparatum ad inferiora, de qui bus predicari potest in abstracto, non predicatur ut accidens, sed ut genus, vel ut species; ita color, ut color predicatur de albedine, et nigredine. tandem inferiora accidentis sunt illa, in quibus accidens reperitur.

Sectio quarta de specie me taphisica subjicibili, et predicabili

Quod ex genere, et diferencia coalescit dicitur species, que defi nitur: predicabile de multis, ut tota esensia notabilis. hic ut ut vides definitur species predicabilis. alia est pure subjici bilis generi, et que deinde non habet inferiora de quibus po sit predicari. talis est Deus, cujus esensia notabilis est ens a se qui conceptus subjicitur generi ens, cujus est inferior, et non potest predicari de pluribus cum non sint plures Dii. de hac specie subjicibili non est questio; sed de predicabili, quam definivimus, et dividitur in supremam, mediam, et infimam juxta illam explicationem, quam in simili dedimus ubi de gene re.

Dificultas autem, et que acriter controverti solet nos inter et thomistas est: an species posit esse predicabilis si unicum tan tum sit posibile individuum illius speciei? Quoniam vero thomis tes naturam Angelicam Michaelis ita faciunt individuam, et singularem, ut nec divinitus esse posint angeli ejusdem speciei, controversia est de natura Michaelis, ut autem questioni lucu letur duo permittuntur thomiste. 1um est: Deum non posse pro ducere angelos ejusdem speciei. 2um: naturam Michaelis ob jective praescindi à singularitate, seu concipi sine singula ritate, et sic presciva dicitur inadequate concepta.

Notandum preterea est cum Divo thoma prima parte questione 13 univer sale esse vel secundum rem, et rationem simul, ut est illud, quod

habā plura inferiora actu existentia, cognita praescindendo à singularitate, et multiplicitate, ut natura humana per cognitionem homo: Vel secundum rationem tantum, et est illud cujus inferiora actu non existunt, sunt tamen possibilia. Pro exemplo adducit Divus Thomas naturam solis cognitam per cognitionem sol. Sequuntur thomistae hac in quaestione thomam à Rio Cajetanum. Nos ergo cum nostris omnibus, plurimis scholasticis, et thomistis Aguirre Palanco, Colegio Divi Thomae, Complutensi, et aliis non paucis dicimus, et

Sit Conclusio Natura Michaelis inadequate concepta non est species universalis adhuc secundum rationem. Probatur 1º. Universale logicum est unum potens esse in multis per identitatem cum illis; sed natura, cui repugnant inferiora, ut natura Michaelis in sensu quaestionis, non est potens esse in multis per identitatem cum illis: ergo. Major est definitio universalis logici admissa ab omnibus. Minor est ex terminis nota; quomodo enim poterit natura esse in multis per identitatem, si hec multa, seu inferiora repugnent, ut repugnant in sententia thomistarum plures naturae ejusdem speciei cum natura Michaelis?

Communis adversariorum solutio est, quod si natura, cui plura inferiora repugnant, ut natura Michaelis concipiatur inadequate et praescisa à singularitate potest considerari, ut apta posse ad essendum in multis, quia natura sic concepta ex parte sua non dicit exigentiam, seu radicem unicae singularitatis, nec repugnantiam ad plura individua, sed tota repugnantia se tenet ex parte individuorum. Uno verbo, ajunt, singularitas obest praedicabilitati; natura vero Michaelis inadequate concepta praescinditur ab hac singularitate; est igitur praedicabilis, quantum est ex se.

Contra: Actus licet non dicat singularitatem, sed multiplicitatem, si tamen non est conveniens pluribus non est conceptus universalis; sed actus, quo attingitur natura Michaelis, licet non dicat singularitatem, aut multiplicitatem per vos non est actus conveniens pluribus: ergo. Respondent non convenire pluribus, quia impossibiles sunt plures Angeli illius speciei, naturam vero illam esse praedicabilem de pluribus casu, quo essent possibiles. Contra tamen potentia ex suppositione impossibili est potentia absolute impossibilis; sed per vos plura individua naturae Michaelis, si sunt possibilia, sunt ex suppositione impossibili: ergo sunt absolute impossibilia: ergo solum esset species praedicabilis praedicabilitate absolute impossibili, atque adeo chimera

Respondent tertium: naturam Angelicam salem esse praedicabilem de pluribus objective existentibus cum fundamento; potest enim intellectus concipere plura individua Angelica, ut possibilia sumpto fundamento ex non repugnantia naturali quantum est ex re, ut praedicetur de multis. Poterit ergo praedicari de illis objective existentibus, seu sic consideratis ab intellectu producente. Contra etiam, natura Angelica nullum praebet intellectui fundamentum, ut fingatur talis pluralitas individuorum: ergo. Antecedens probatur. Natura Angelica ex conceptu suo specifico penitus repugnat pluribus individuis tam materialibus, quam spiritualibus: ergo. Confirmatur ex Divo Thoma quaestione unica de spirituali creatura articulo 8º. Si Angelus est forma simplex abstracta a materia impossibile est etiam fingere (cum fundamento) quod sint plures Angeli unius speciei.

Probatur 2º paritate desumpta ex Divo Thoma 1º posteriorum lectione XI. non est possibile invenire aliquod genus, cujus unica tantum sit species: ergo neque est possibilis species, cujus unicum tantum sit possibile individuum. Probatur consequentia. Idem est ordo, quem dicit genus, ad species, ac ordo, quem dicit species ad individua; sed impossibilitas specierum arguit ex Divo Thoma impossibilitatem generis: ergo etiam impossibilitas individuorum arguit impossibilitatem speciei praedicabilis respectu illorum. Confirmatur, quia genus respicit pro individuis species, quas constituit tanquam pars materialis, de illis enim est praedicabile; similiter species respicit pro individuis illa, in quibus ipsa reperitur, et de quibus est praedicabilis, ut tota essentia notabilis: ergo si defectus specierum in genere tollit illi praedicabilitatem, ita &c.

~~Arguitur 3º. Unicum impedimentum essendi in multis est singularitas; sed natura Michaelis inadequate concepta non habet singularitatem: ergo est universalis; quia inter esse singularem, et universale nullum est medium. Respondetur distinguendo majorem. Unicum impedimentum est singularitas, si caetera constitutiva adsint concedo, si non adsint nego majorem, et concessa minori nego consequentiam. Ut natura dicatur praedicabilis non sufficit, quod concipiatur absque singularitate, sed alterum requiritur, ut natura ex se sit multiplicabilis, utrumque enim importat ratio praedicabilitatis. Quare non est praedicabilis illa natura, non quia dicat singularitatem, sed quia non est multiplicabilis.~~

Sectio 5ª Thomistarum argutis respondet

Arguunt 1º. Unicum impedimentum essendi in multis est sin-
gularitas; sed natura Michaelis inadequate concepta
non habet singularitatem: ergo est universalis, quia in-
ter esse singularem et universalem nullum habet me-
dium. Respondeo distinguo majorem. Unicum impedi-
mentum est singularitas, si cetera constitutiva adsint
concedo, si non adsint nego majorem, et concessa mino-
ri nego consequentiam. Ut natura dicatur prædicabi-
lis non sufficit, quod concipiatur absque singularitate,
sed ulterius requiritur, quod natura ex se sit multiplica-
bilis, rursumque enim importat ratio prædicabilitatis, quare
non est prædicabilis talis natura non quia ~~non~~ dicat
singularitatem, sed quia non est multiplicabilis.

Arguunt 2º. Natura Michaelis a singularitate præcisa concipitur sine
repugnantia, ut sit in multis, quia concipitur sine singularita-
te: ergo concipitur cum non repugnancia. Item præcisa a sin-
gularitate non est formaliter repugnans: ergo est formaliter non
repugnans. Respondeo distinguo primum antecedens: concipitur
sine repugnancia ex parte præcisionis a singularitate, concedo,
ex parte multiplicabilitatis, nego antecedens, et consequentiam
in sensu distinctionis. Ad secundum permisso antecedenti, ne-
go consequentiam; non enim sunt contradictoria esse formaliter
repugnans, et esse formaliter non repugnans; datur namque me-
dium, valet ab utroque præscindere formaliter.

Itaque et nota
diligenter, nos non negare, naturam Michaelis in sensu præ-
cisionis esse universalem, seu speciem prædicabilem, quia expri-
mat singularitatem; supponimus enim, et permittimus Thomistis
esse præscisam a singularitate. Verum hoc non sufficit, ut sit
species prædicabilis, sed requiritur ulterius, quod sint positi-
va inferiora, de quibus prædicari possit, et cum hæc in sen-
tencia Thomistarum impossibilia sint, quo pacto fieri po-
test, ut de illis prædicetur?

Arguunt 3º. Natura realiter multi-
plex sine fictione fit una per intellectum: ergo pariter
natura realiter una poterit fieri per intellectum multiplex
sine fictione. Distinguo equivocum: per intellectum fit una, id
est præscisa a multiplicitate, concedo; aliter nego antecedens,
et distinguo consequens: per intellectum fieri potest multiplex,
id est præscisa a singularitate, concedo; id est apta esse in

nullis implicas in terminis: si enim inferiora repugnant, repugnare necesse est multiplicitatem, et aptitudinem universalem.

Arguunt 3º. aptitudo naturae universalis ad multa, est aparens, non vera; sed haec aptitudo convenit naturae michaelis inadequatte conceptae: ergo. item. haec aptitudo dependet à modo nrō concipiendi; eodem vero modo concipi potest natura michaelis, ac natura hominis. Haec et alia solves, distinguendo sic: aptitudo naturae universalis ad multa, est aparens, et necessario requirit multa, concedo; et haec non requirit, implicas in terminis; si enim est ad multa quomodo non requiret multa? similiter dependet à nrō modo concipiendi ex parte cognitionis praecisivae, concedo; ex parte inferiorum, quae requirit à parte rei, nego manifestam implicantiam.

Adducunt tandem Divum thomam pro se. Tu dices, doctorem Angelicum in illo textu loqui de specie phisica, non vero logica, et praedicabili, ut constat ex authoritate adducta pro nra sententia. nota etiam naturam micaelis in suppositione questionis diferre à natura Gabrielis specie subjicibili non vero praedicabili. item. naturam in sensu questionis, non esse formaliter singularem, esse tamen juxta thomistas formaliter immaterialem, seu exigentem formalem singularitatem, quare non praescindit à singularitate saltem radicali.

Disputatio 2ª De postpraedicabilibus

Hactenus in disputatione antecedenti quinque praedicabilia considerabimus; nunc super illis, questiones reliquas tractandas aggredimur, quae, ideo post praedicabilia apellantur. Sed tamen ipsam porfirii divisionem in examen vocabimus, de hinc de univocatione, et generalitate rationis praedicabilis agemus.

Sectio prima examinatur divisio in quinque praedicabilia

Quaeri solet, an haec divisio sit immediata, an etiam adequata? non esse immediatam certissimum est, cum non fiat in membra principaliora, et universaliora. Quare immediatius divideretur praedicabile in esenciale, et extra esenciale, quo modo possumus distinguere genus, diferenciam, speciem, quae sunt praedicabilia esencialia; pro

ſeruum, et Accidens, quæ ſunt extra eſſentialia. Sic immediatius dividitur animal in rationale, et irrationale; et non immediate in riſibile, in hinnibile, latrabile etc.

Non eſſe adequatam tenent etiam communiter omnes, quia hæc ſunt universalia: animal album, animal flebile, et his similia quadraginta ſex inventa à Caramuele, hæc non ſunt ex aſsignatis: ergo illa diviſio non est adequata, cum hæc et alia prædicabilia non comprehendant. Doctor Eximius proponit hanc quæſtionem his terminis: An ſcilicet diviſio, hæc ſufficiens ſit. Affirmat ipſe et nos cum ipſo. Probatur 1º. Quod est unum in multis, ſeu prædicabile dicere potest aliquid eſſentiale illis, vel extra eſſentiale; ſed quinque prædicabilia eſſentiale, et extra eſſentiale comprehendunt: ergo illa diviſio est ſufficiens. ~~non nihil est unum eandem quo ... omnibus ... fuit tamen ... ergo ...~~

Probatur 2º. illa diviſio ſufficiens est, quia nullum est aſsignabile membrum, quod non contineatur in numeratis; ſed nullum est aſsignabile prædicabile, quod in illis quinque non contineatur: ergo. Probatur minor. ſi eſſet aſsignabile aliquod foret animal album, animal flebile, ſed hæc in quinque continentur: ergo. Probatur hæc minor. illa continentur in genere, et proprio, vel in genere, et in accidenti, ut patet: ergo. attendendus præterea est finis illius diviſionis, ad quem apta, ideoque ſufficiens est: quia (ait Eximius) diſtinctio illorum quinque membrorum neceſsaria erat et ſufficiebat ad cohordinanda prædicamenta, et definitiones faciendas, et ad alia dialecticorum munera propter quæ diviſio illa inventa est.

Unde infores diviſionem Porfirianam in quinque prædicabilia, ſive ſit, vel non ſit immediata, et adequata, eſſe tamen ſufficientem ad unum ſcholarum. Hoc est judicium noſtrum circa illam diviſionem, et quidem conforme Doctori eximio. Cum vero hoc ſufficiat, ut admittatur ab ſcholis, nihil aliud requirendum est; hinc nos eam admittimus, ſed nec propugnamus eſſe immediatam, nec defendimus, eſſe in toto rigore adequatam, ſolum dicimus eſſe ſufficientem ad unum ſcholarum ſcilicet ad cohordinanda prædicamenta.

Sectio 2ª An ratio prædicabilis ſit

unica ad omnia prædicabilia

ratio prædicabilis idem est, ac conceptus dicens prædicabile, et quemadmodum ex omnibus hominibus abstrahitur ratio comunis, seu conceptus homo, omnibus conveniens, sic quæritur nunc: an ab omnibus prædicabilibus possit abstrahi ratio comunis, seu conceptus prædicabile omnibus prædicabilibus conveniens? Affirmo cum doctore Eximio disputatione 6ta sectione 8a numero 6o dicente: Ex hac præcisione consurgit quædam unitas rationis cum aptitudine ad multa, quæ sub hac præcisa consideratione ejusdem rationis, est in quocumque universali: ergo.

Probatur etiam ratione. Sicut dicitur genus est prædicabile, proprium est prædicabile: ergo ratio prædicabilis &. roboratur. licet homo et leo habeant diversas definitiones tamen abstrahitur ratio animalis illis omnibus communis, et univoca: ergo pariter licet prædicabilia diversas habeant definitiones potest abstrahi ratio prædicabilis, quæ communis, et univoca illis sit.

Sit 2a conclusio. ratio prædicabilis seu universi est genus ad omnia prædicabilia 2o intencionaliter sumpta. dico 2o intencionaliter quia ad universa 1o intencionaliter non est genus; et ratio est, quia universa 1o intencionaliter sumpta sunt materia universi secundum esse quod habet a parte rei, cui contingenter advenit esse universi quare hæc et præcedens conclusio intelligendæ sunt de universis 2o intencionaliter sumptis seu claris; non de animali prout est a parte rei vivens sentiens, sed sub illo conceptu, quo fit genus ad omnia animalia.

Probatur conclusio. ratio prædicabilis prædicatur essentialiter de omnibus prædicabilibus; sed non prædicatur ut pars formalis, nec ut tota essentia: ergo ut pars materialis, ideoque ut genus. major patet ex dictis. Probatur minor quoad 1am partem, ratio universi est indifferens ad omnia prædicabilia; sed pars formalis non est indifferens: ergo non prædicatur ut pars formalis. probatur quoad 2am. si ratio universi esset tota essentia universorum, universa non distinguerentur specie, quia haberent eamdem essentiam: ergo non prædicatur ut tota essentia. Consequentia sequitur, eamque probare poteris paritate aliarum rationum comunium, quæ sunt genus v.g. animalis, quæ generice convenit homini et bruto. Audi argumenta contra 2am conclusionem.

Arguunt 1o ratio univoca non participatur magis ab uno, quam ab alio inferiori; sed

ratio universi participatur magis à genere, quam à Diferencia: ergo. respondeo distinguo majorem; non participatur magis intensive, concedo; extensive, nego majorem, et distincta ē contra minori nego consequentiam. Itaque inter universa sunt alia, quae magis se extendunt, hoc est pluribus conveniunt. sic universum Ens magis se extendit, quia pluribus convenit, quam universum homo; sed non ideirco sunt magis universum intensive, quia proprie tam universum sunt hec, quam illa. patet exemplo, vox Ens majus signum est, quam vox Petrus, quia plura signata habet; sed non est magis signum, quia ratio signi equaliter convenit utrique.

Argumentum 2º

ratio universi non prescindit ab omnibus diferenciis: ergo. probatur antecedens. una ex diferenciis universi est esse predicabile de omnibus universis sed ab hac non prescindit: ergo. probatur minor; si prescinderet ab hac diferencia prescinderet à se ipsa, quod repugnat: ergo. major probatur, quia esse praedicabile de omnibus predicabilibus est diferencia rationis universi, in qua hec ratio diferent ab aliis. respondeo nego antecedens, ad ejus probationem nego minorem; ad hujus probationem, distinguo majorem: prescinderet à se ipsa per diversos conceptus, concedo majorem; per eundem conceptum, nego majorem, et distincta ē contra minori, nego etiam consequentiam, et inde ad reliqua.

Itaque ratio universi sub conceptu universum solum dicit universum, et ab omnibus diferenciis prescindit, quia nullas dicit. verum si illa ratio cognoscitur sub hoc conceptu; predicabile de omnibus universis, tunc non prescindit ab omnibus diferenciis, quia non prescindit à sua diferencia, quae exprimitur per illum conceptum. sed sub illo conceptu non est ratio comunis universi, de qua est questio; est enim particulare universum.

Argumentum 3º

si ab omnibus universis prescinderetur ratio comunis universi, Diferenciae, contrahentes universi essent, et non essent universum: ergo. probatur 1ª pars; quia omnis diferencia est universum. probatur 2ª, quia Diferencia non est illud genus, quod illa contrahit, ut patet in rationali, quod est diferencia animalis, et non est formaliter animal: ergo. respondeo distinguo antecedens; eodem modo essent, et non essent universum, nego antecedens; diverso modo, concedo antecedens. ad probationem prime partis dico omnem diferenciam esse tale universum, non vero esse universum ut sic, seu rationem comunem universi; et his duobus respectibus valbatur esse universum, hoc est, particulare universum; et nomine

universum, id est rationem comunem universi. Sic e homine dici potest quod est animal, et non est animal; hoc est est tale animal, nempe rationale, et non est animal, id est non est animal, ut sic, seu ratio comunis animalis.

Arguent 1o. Si ratio universi esset universalis, esset etiam talis respectu sui; hoc repugnat: ergo. Mayor est certa, quia ipsa ratio est universum. Pr. ergo minor: repugnat quod eadem res sit superior et inferior se ipsa; sed talis esset illa ratio, si foret comunis, et universalis: ergo. Hac minor probatur: quia esset ratio comunis, adeoque superior; esset deinde tale universum, adeoque inferior. Respondeo concessa mayori, nego minorem, ad cujus probationem distinguo mayorem, repugnat quod sit superior et inferior eodem modo, concedo; diverso modo, nego mayorem, et distincta a contra minori, nego consequentiam. Itaque illa ratio esset superior se ipsa, cognita per cognitionem universum ad omnia universa; non vero esset superior se ipsa sub conceptu universum et sic.

Quare ratio universi per cognitionem universum est superior omnibus universis, quia illa respicit tamquam inferiora et se ipsam etiam respicit ut inferiorem cognitam per cognitionem universum ad omnia universa; quia per hanc cognitionem est tale universum, adeoque continetur sub illa ratione, sub qua continentur omnia illa quae sunt tale universum. Scias deinde 1o. universum excludere praecisive differencias, quia illas non exprimit formaliter; non vero excludere positive, quia illas non negat. 2o. Rationem universi non esse univocam ad universum verum, et fictum, quia conceptus universi dicit esse verum sicut conceptus ens significat ens reale.

3o. convenire in ratione universi non est praecise convenire in recto solum, nec solum in obliquo, sed in utroque simul. 4o. licet cognitio universum dicat multiplicitatem, non dicit multiplicitatem destructivam universi. Sic cognitio dicens exercitus, civitas facit universum, et tamen dicit multiplicitatem militum, et civium. Multiplicitas ergo destructiva universi illa est, qua reddit rationem comunem non praedicabilem de inferioribus, ut si diceretis multiplex exercitus; ratio enim exercitus non esset tunc praedicabilis de hoc, vel illo; falso enim diceretur: exercitus hispanus est multiplex exercitus.

Sectio 3.a argumentis contra secundam conclusionem respondet

Arguitur 1.o et quidem dificilime; si universum sub conceptu universum esset genus ad omnia universa esset superius, et inferius genere, quod est primum predicabile; sed hoc repugnat: ergo. P.a major. In primis esset superius, quia ratio universi est superior ad omnia universa, atque adeo ad genus, quod est unum ex Universis: Deinde esset inferius, quia est particulare genus ad omnia universa, et omnia genera sunt inferiora genere ut sic, quod est primum predicabile. Respondeo. Distinguo majorem, esset superius et inferius genere per eamdem cognitionem, nego; per diversas, concedo majorem, et distincta e contra minori, nego consequentiam. ad probationem distinguo; esset superius per cognitionem universi et inferius per cognitionem genus ad omnia universa, concedo; aliter, nego.

Diverso modo respondent alii huic argumento; sed hac solutio, quam olim tradidit Caesariensis professor, nunc theologia Emeritus pater Petrus Ferreola clarior mihi visa est, et expeditior. Itaque universum ut sic magis se extendit quam genus, et genus ut sic magis quam hoc vel illud genus: extendi autem magis, vel minus est convenire pluribus, vel paucioribus. Jam ergo, ratio Universi extendit se ad omnia omnino universa, at ipsa ratio cognita per cognitionem: genus ad omnia universa est tale genus, ideoque est inferior genere cognito per cognitionem genus.

Arguitur 2.o genus ut sic non continet sub se rationem universi: ergo neque est inferior genere ut sic, nec est particulare genus ad omnia universa. P.a ans. Si genus ut sic continet sub se rationem universi, etiam contineret omnia universa sub illa ratione comuni contenta; sed hoc est falsum: ergo. P.a minor. Sub ratione universi continentur omnia universa; atqui genus ut sic non continet omnia universa: ergo. P. hoc minor. Ideo ratio universi continet sub se omnia universa, quia omnia sunt universum; sed omnia non sunt genus: ergo genus ut sic non continet omnia universa. En labirintum Cretensi implexior cum ut explicer, sic distingue.

Distinguo ergo primum ans: non continet sub se rationem universi cognitam per cognitionem

universum, concedo; cognitam per cognitionem genus ad omnia universa, nego antecedens; ad probationem, nego minorem; ad istius probationem distinguo mayorem; sub ratione univer si cognita per cognicionem universum continentur omnia universa, concedo; cognita per cognitionem genus ad omnia universa nego mayorem, et concedo minorem, ac consequentiam cum sua probatione. itaque ratio universi per cognitionem universum continet sub se genus, diferenciam &c, quia sunt predicabile; et ideirco vere dicitur: genus est predicabile &c; Cognita vero sub conceptu: genus ad omnia universa non illa continet, quia falso dicitur Diferencia species &c sunt genus ad omnia universa.

Arguitur 3º. Ratio universi esset superior, et inferior genere ut sic per eadem cognicionem: ergo non est genus. Probatur antecedens quoad secundam partem. ratio universi est inferior genere ut sic per cognitionem, per quam fit particulare genus; sed per cognitionem universum fit particulare genus: ergo. Respondeo, nego antecedens. ad probationem distinguo mayorem; per eam cognitionem, per quam fit particulare genus signate tale, concedo; per quam fit particulare genus exercite tale, nego mayorem, et distincta e contra minori, nego consequentiam. Constat solutio ex dictis jam. ratio universi per cognitionem universum non est genus particulare, nec genus, sed solum fit exercite; si vero cognoscatur secundum suum esse exercitum, tunc quidem est particulare genus. Sed de universo sic reflexe cognito non est questio.

Arguitur 4º. Quodlibet particulare genus habet inferiora; sed ratio universi per cognitionem: genus ad omnia universa est particulare genus: ergo habet sua inferiora; sed hec non sunt alia nisi omnia universa: ergo adhuc per illam cognitionem est superior genere ut sic, et etiam omnibus universis. Respondeo. Distinguo mayorem: quodlibet particulare genus, cognitum per cognitionem particulare genus, nego mayorem; non sic cognitum, concedo mayorem; et distincta e contra minori nego consequentiam. Ratio universi habet inferiora modo, quo est predicabili;

non est predicabilis modo quo est genus, quia falso diceretur: Differencia est genus ad omnia universa: modo autem, quo est ratio comunis habet inferiora, et de illis est predicabilis.

Esto exemplum. ratio animalis per cognitionem animal fit particulare genus exercite tale ad omnia animalia, quia sic predicabilis est de omnibus animalibus: v.g. homo est animal: Leo est animal; cognita vero reflexe per cognitionem: genus ad omnia animalia fit particulare genus signate tale, et hoc modo non est predicabilis de animalibus, quia falso diceretur: Leo est genus ad omnia animalia. Atque hoc modo ratio animalis per cognitionem animal habet inferiora omnia animalia; verum sic cognita non continetur sub ratione generis ut sic: continetur autem cognita per cognitionem genus ad omnia animalia; sed sic cognita non habet inferiora, nec est ratio comunis, et universalis, a qua loquimur.

Ex hucusque dictis inferes 1.° rationem universi cognitam per cognitionem universum non definiri per definitionem generis, sed per definitionem universi: cognitam vero per cognitionem genus ad omnia universa non definiri per definitionem universi, sed per definitionem generis ita: predicabile est pars materialis essencia specifica. 2.° in hac questione tam implexa posse fieri innumeras instancias, sed omnes solves, si recte distinguas: per eamdem cognitionem v.g. nego; per diversas cognitiones, concedo. 3.° ut aliquid sit individuum alicujus rationis comunis debere participare, et quidem formaliter illam rationem comunem. Sic Petrus non est individuum rationis comunis Ens, nisi per cognitionem per quam cognoscatur ut tale ens. Similiter dicendum de aliis individuis cujuscumque rationis.

L. Aūs De Posterioribus Logicæ

Duor libris, qui vocantur Analytici hoc est agentes de illis in quæ resolvitur demonstratio amplexus est Aristoteles illa omnia, quæ in hoc 2º libro tradi solent. Quoniam vero plurima huc spectancia addimus in summulis, et alia suum locum obtinent comodiorem in Animasthica, ideo solum tractandum restat de silogismo in comuni, et in particulari, quod unica disputatione spectabimus.

Disputatatio unica de silogismo in comuni

Sectio 1ª de esensia phica, et influxu silogismi

Esenciam metaphisicam silogismi explicavimus in summulis, nunc ejus esª phisica, et influxus tractari debent. Circa sum. dico 1º. Constitutiva phisica silogismi sunt premisæ, et conclusio illius. Probatur. Silogismus est progresus, seu discursus ab uno, in alius, seu aliquid: ergo esensialiter constituitur per unam cognitionem, ex qua progrediatur, et per aliam, ad quam progrediatur. Confirmatur paritate, discursus localis esensialiter requirit duplicem locum, scilicet locum, à quo, et locum, ad quem progrediatur: ergo pariter. Roboratur. Silogismus definitur modus sciendi inferens &c: sed hoc neq. convenit solis premisis, neq. soli conclusioni: ergo utrisq. simul.

Dico 2º. Solæ premisæ, et conclusio sunt constitutiva phisica silogismi. Probatur. his precise positis ponitur silogismus recte constitutus in figura, et modo, et deinde cum tribus terminis silogismi; sed hec est tota esensia phisica silogismi: ergo. Si aliquis actus ulterius requireretur esset actus correspondens particulis; sed ergo; sed his particulis nullus correspondet actus, qui sit de constitutivo phisico silogismi: ergo. Probatur minor. Sed ponitur ad explicandam externe conexio

nem præmissarum et Ergo ad explicandam dependentiam conclusionis à præmissis; sed illa connexio et hæc dependencia vel sunt ipsæ præmissæ, et conclusio; vel actus externi supponentes syllogismum jam physice constitutum: ergo.

Dices syllogismus est modus sciendi illativus, sed sola conclusio est illativa: ergo sola conclusio est syllogismus. Probatur à pari. Definitio est modus sciendi explicans essentiam rei clarius, quam apparebat per definitum formale, seu apprehensionem præviam, sed non constituitur per apprehensionem præviam: ergo neque syllogismus per præmissas. Respondeo distinguo majorem: est formaliter adæquate illativus concedo inadæquate, nego. Licet sola conclusio formaliter inferat, totus syllogismus est illativus, sed ita, ut præmissæ inferant radicaliter, et conclusio formaliter. Sic totus homo dicitur discursivus à sola anima, et corporeus à solo corpore. Ad paritatem: est disparitas; quia definitio non est illativa, sed explicans ideoq. solum constituitur per actum explicantem; syllogismus vero cum sit illativus dicit essentialiter unum, et aliud.

Dices tertium. Si syllogismus esset aggregatum ex præmissis, esset aggregatum ex judiciis, sed aggregatum ex judiciis est judicium: ergo. Respondeo distinguo majorem; esset præcise aggregatum ex judiciis, nego, esset cum tali dispositione, concedo majorem, et distinguo minorem: aggregatum cum tali dispositione est judicium, quod est syllogismus, concedo; est judicium, quod non est syllogismus, nego minorem, et consequentiam. Sic domus est aggregatum ex lapidibus, sed non quodlibet aggregatum ex lapidibus est domus nisi illud, quod habet certam et talem dispositionem.

Rogas an ut quis assentiatur conclusioni, necessaria sit cognitio de bonitate illationis objectivæ? affirmo, quia motivum, ob quod intellectus assentitur conclusioni est connexio objecti præmissarum cum objecto conclusionis: intellectus enim nunquam assentitur veritati, nisi sufficienter propositæ, ergo ut intellectus assentiatur veritati non sufficit, quod connectatur cum alia, sed requiritur ulterius, quod hæc connexio cognoscatur. Sic ad assentiendum existentiæ ignis non sufficit cognosci fumum, sed requiritur, quod cognoscatur connexio fumi cum igne. Similis tamen cognitio non debet esse distincta à præmissis, quia intellectus per illas, et conclusionem sufficienter cognoscit connexionem unius cum alio.

Circa 2am sectionis partem rogas an premissæ influant in Conclusionem? Thomistæ volunt influere phisice; sed gratis, et superflue conceditur premissis iste influxus; gratis, inquam, quia ad hoc nullum est sufficiens fundamentum: et superflue, quia sufficit Concursus moralis, et illuminativus. Sic concurrit ad Judicium apprehensio previa; sic actus intelectus concurrunt, seu influunt ad amorem. Deinde, quia solus intelectus cum specie impressa objecti habet sufficientes vires ad eliciendam conclusionem. Verum pro hoc concursu morali et illuminativo premissæ influunt in Conclusionem.

Observa 1O debere distingui realiter premissas a Conclusione: quia nulla Causa potest se ipsam causare. 2o premisas debere esse priores natura Conclusione, quia omnis causa est natura prior effectu. 3o licet premissæ communiter concipiantur prius tempore, quam Conclusio, hoc esse necessarium; quia dummodo intelectus asentiatur Conclusioni propter motivum premissarum, licet sint in eodem instanti, adsunt iste essu discursus. 4o premisas debere perseverare in intelectu, qdo elicitur Conclusio, quia aliter non essent causa Conclusionis, cum causa debeat existere in instanti, in quo producit effectum.

Sectio 2a. An premissæ necessitent intelectum ad conclusionem

1 Necessitas sicut etiam libertas duplex est, alia contrarietatis, seu quoad speciem; alia contradictionis, seu quoad exercitium. Exemplum primæ, sit v.g. intelectus, qdo ita est necessitatus ad asensum, ut non possit se determinare ad disensum. Exemplum 2æ, v.g. Voluntas ita est necessitata ad amorem, ut non possit non amare. Hoc suposito, procedit Questio in casu, quo intelectus sit omnino expeditus, a cum omnibus prærequisitis; si enim non penetrat vim premissarum, vel ad alias distrahitur, si Deus nolit cum illo concurrere, Certum est, intelectum non necessitari, licet premissæ sint aliunde evidentes, in hoc sensu.

Sit 1a Conclusio. Posito asensu premissarum, tam evidentium, quam probabilium, necessitatur intelectus ad asensum Conclusionis quoad speciem. Probatur. Nequit intelectus simul asentiri, et disentiri eidem objecto; sed posset in casu questionis si non necessitaretur quoad speciem ad asensum Conclusionis: ergo. Probatur minor. Si intelectus asentiretur

ſis præmiſsis: omnis homo est animal ſed petrus est homo, et disentiretur Concluſioni: ergo petrus est animal: ſimul judicaret eſse animal, quia judicaret eſse hominem, et omnem hominem eſse animal, et ſimul judicaret non eſse animal, quia disentiretur Concluſioni: ergo.

Sit 2a. Concluſio.

Intelectus neceſsitatur, etiam quoad exercicium poſito &c. Probatur — de præmiſsis evidentibus. Intelectus poſito aſenſu præmiſsarum est Cauſa neceſaria cum omnibus prærequiſitis ad Concluſionem; ſed cauſa neceſaria ſic diſpoſita non poteſt non operari Concluſionem: ergo. probatur de præmiſsis probabilibus. Non minus infertur Concluſio probabilis ex præmiſsis probabilibus, quam infratur Concluſio evidens ex evidentibus; ſupoſita enim identitate extremorum cum tertio, evidens est identitas extremorum inter ſe; ſed poſito aſenſu præmiſsarum evidentium, neceſsitatur intelectus quoad exercicium: ergo pariter. Si enim objectum judicatur verum per præmiſsas debet judicari verum per Concluſionem.

Argues 1o.

Contra 1am Concluſionem omnis poteſt aſentire unitati Dei et disentire Trinitati: ergo pariter poteſt intelectus aſentire præmiſsis, et disentire Concluſioni. Roboratur. Per aſenſum unius contradictorii non neceſsitatur intelectus ad diſenſum alterius contradictorii: ergo. Diſparitas primi est, quia Trinitas non est per ſe nota lumine naturæ; at vero extrema identificata cum tertio eſse identificata inter ſe est lumine naturæ notum. Diſparitas ſecundi est, quia poſito aſenſu unius contradictorii ſæpe deficit aprehenſio alterius, quæ aprehenſio est unum ex prærequiſitis ad disentiendum. Poſito vero aſenſu præmiſsarum, objectum Concluſionis jam cognoſcitur ut verum, quia jam cognoſcitur connexio præmiſsarum cum Concluſione.

Argument 2o. poſito aſenſu præmiſsarum, voluntas poteſt impedire aſenſum Concluſionis: ergo. probatur antecedens. Intelectus ſubditur voluntati: ergo. Reſpondeo nego antecedens et distinguo probationem; ſubditur in omnibus, nego; in aliquibus, Concedo. Voluntas poteſt impedire aſenſum Concluſionis impediendo aſenſum præmiſsarum non cognitarum ut evidentium. Si autem aſentiatur præmiſsis cognitis ut evidentibus, jam non ſubditur intelectus voluntati.

Argument 3o. contra 2am partem 2æ Concluſionis. per præmiſsas probabiles ſolum probabiliter proponitur identitas extremorum cum tertio: ergo ſo

solum probabiliter proponitur identitas extremorum inter se; sed intellectus non necessitatur ad assensum illius, quod solum probabiliter proponitur: ergo. Respondeo distinguo antecedens: si assentiatur premisis, nego; si non assentiatur, concedo antecedens. Itaque licet silogismus secundum se solum sit probabilis; tamen suposita ut vera (per assensum premisarum) identitate extremorum cum tertio, jam resultat evidens identitas extremorum inter se. Scito demum intellectum solum necessitari ad conclusionem, si silogismus sit in aliquo modo ex quatuor directis prime figure, quia in istis evidenter proponitur identitas extremorum cum tertio.

SECUNDA DE

3a de esto praestandum est [illegible] Objectum premisarum est identitas extremorum cum tertio, et objectum conclusionis est identitas extremorum inter se, et quidem hoc est objectum materiale, ratio vero. Ob quam intellectus assentitur huic veritati exit objectum formale, hoc enim attingetur ratione sui. Dificultas est nunc an objectum materiale premisarum sit objectum formale intrinsecum conclusionis? Sit exemplum hic silogismus: omnis homo est animal: sed petrus est homo: ergo petrus est animal: Queritur an conclusio reddat hunc sensum: petrus est animal, quia est homo, et omnis homo est animal?

Certum est identitatem extremorum cum tertio esse objectum formale extrinsecum, seu motivum impulsivum conclusionis. Nam veritas objectiva premisarum excitat, seu causat in genere cause intentionalis objective ipsam conclusionem. Sit conclusio. Objectum materiale premisarum est objectum formale, seu motivum, propter quod intellectus assentitur conclusioni.

Probatur id est objectum formale (intellige intrinsecum et connexum) conclusionis, cui innititur conclusio; sed conclusio innititur objecto materiali premisarum: ergo. Probatur minor. Id, quod intellectus daret pro motivo sue conclusionis, si rogaretur, quare assentitur illi, est id, cui innititur conclusio; sed si rogaretur intellectus daret pro motivo objectum materiale premisarum: probatur hec minor. Si rogaretur intellectus quare assentitur conclusioni: petrus est animal, diceret, quia est homo, et omnis homo est animal: ergo. Roboratur. Conclusio est cognitio formaliter inferens; sed talis non esset si non haberet pro objecto formali objectum materiale premisarum, seu identitatem extremorum cum tertio, ex qua infertur suum objectum, seu identitatem inter se: ergo.

Dices 1.º Objectum Conclusioni se solo est capax terminandi actum intellectus; sed Conclusio est actus intellectus: ergo non requiritur objectum premisarum. Respondeo distinguo majorem terminandi actum intellectus, qui sit Conclusio formalis, nego; qui non sit Conclusio formalis Concedo majorem. quamquam objectum Conclusionis, v.g. Petrum esse animal posit cognosci per actum, qui non attingat objectum premisarum, v.g. per hanc propositionem: Petrus est animal, tamen tunc actus tunc non est Conclusio, quia non est actus illativus. Instas. per Conclusionem vocalem non attingitur objectum premisarum: ergo nec per Conclusionem formalem. nego antecedens; quia per lys ergo Conclusionis vocalis exprimitur motivum asentiendi: quia vox ergo idem significat quam inde infertur, hoc est ex identitate Extremorum cum tertio.

Dices 2.º si objectum materiale premisarum esset objectum formale conclusionis, sequerentur hec absurda. 1.º medium verbum reperiri in Conclusione contra regulas silogismi. 2.º hanc propositionem, que est de fide: Christus est homo, esse falsam, quia potest inferri ex his premisis, quarum prima est falsa: omnis substantia est homo; sed Christus est substantia. 3.º nos recordari objecti premisarum, quoties recordamur objecti conclusionis, quod est contra experientiam. 4.º premisas reperiri in Conclusioni. 5.º premisas esse otiosas, quia earum objectum jam attingitur in Conclusione. Respondeo nego omnes sequelas in sensu consequentis; ut autem videas in quo sensu sint verae,

Dico ad 1.am medium verbum reperiri in conclusione non tanquam terminum silogisticum, sed tanquam motivum Conclusionis, ut denotatur in Conclusione per lys quia. Ad 2.am, hanc propositionem: Christus est homo, esse falsam formaliter, hoc est male deductam, materialiter autem, et in se esse veram. ad 3.am, si recordamur objecti conclusionis ut illati, recordamur pariter objecti premisarum, ex quo infertur. Ad 4.am reperiri premisas non, ut objectum materiale, sed ut motivum objecti materialis conclusionis. ad 5.am non esse otiosas premisas, licet per Conclusionem attingatur illarum objectum, quia deserviunt ut dispositiones applicantes intellectui motivum asentiendi Conclusioni.

Sectio 4ª. De Demonstratione silogismo probabili, et sophistico

Silogismus vel est evidens, aut demonstrativus; topicus, aut probabilis, sophisticus, aut falax. Demonstrativus dicitur ille, in quo ex praemissis veris, certis, et evidentibus, deducitur similis Conclusio. Actus dicitur verus, si est Conformis objecto. Est certus, qui firmiter adheret motivo asentiendi; est evidens, qui ita Clare representat objectum, ut si videretur oculis in luce meridiana. Unde omnis actus evidens est certus, et verus; non autem omnis actus verus est certus, ut patet in actu probabili, qui sit verus: nec omnis actus verus, et certus est evidens; quia actus fidei est verus, et certus, et tamen non est evidens, sed obscurus.

Demonstrationem divisit Aristoteles in demonstrationem á priori, seu propter quid, hoc est cum ex causa, vel quasi causa infertur evidenter efectus, v.g. ex existencia solis, qui est causa lucis, demonstratur lux: vel cum ex esensia infertur proprietas, v.g. est rationale: ergo est risibile. Et in demonstrationem á posteriori, seu quia, hoc est cum ex efectu, seu quasi efectu infertur causa, vel quasi causa, v.g. cum ex existencia diei, que est efectus solis, demonstratur existencia solis. Ad demonstrationem tria requirit Aristoteles, que vocat precognita, et sunt subjectum, hoc est id, de quo demonstrat; pasio, seu id, quod demonstratum hec principia, seu veritates illes quibus demonstratur, vel que sunt motivum asentiendi.

Silogismus probabilis est: argumentatio, in qua ex antecedenti probabili infertur conclusio probabilis. Sed ut aliqua conclusio sit probabilis non sufficit, quod utraque premisa seorsim sumpta sit probabilis; ideo sed requisitum, quod utraque simul sumpta sit probabilis: in doctrina Consecrationis ex his premisis seorsim probabilibus: in hostia Consecrata manet quantitas panis, sed quantitas panis est substancia panis, infertur hec conclusio erronea: ergo in hostia consecrata manet substancia panis. Si vero una ex premisis sit probabilis, et alia evidens; vel una vera, et alia falsa, non infertur conclusio evidens, nec vera: sed in primo casu sequitur conclusio probabilis, et in secundo sequitur falsa, quia ut dicunt Philosophi: conclusio sequitur debiliorem partem.

Sillogismus Sophisticus, seu falax, aut Paralogismus est: ar-
gumentatio, in qua ex falacia tecta cum aparencia veritatis infera-
tur conclusio falsa. Sofismatum genera, duodecim numeran-
tur. 1um Equivocum Vg. Gallus est avis: sed francus est ga-
llus: ergo francus est avis. 2um Amphibologia, Vg. quod
edis comedis; sed edis librum: ergo comedis librum. 3um Ac-
centus, Vg. Maria est Virgo, sed congregationes aquarum
sunt maria: ergo sunt virgo. 4um figure dictionis,
Vg. verbum, quod significat tenere est habeo; sed amo est 1ae
conjugationis: ergo verbum, quod significat tenere est 1ae conju-
gationis. 5um compositionis, vel divisionis, Vg. stantem sedere
est imposibile; sed petrus stat: ergo petrum sedere est imposi-
bile.

6um est accidens, Vg: petrus esentialiter est homo; sed
homo est albus, ergo petrus esentialiter est albus. similiter
dices de variatione suposicionis. 7um a simplici ad secun-
dum quid. Vg. homo est corpus, et anima, et unio; ergo corpus
est homo. 8um ignorationis elenchi hoc est latine redar-
gutionis, cum a conclusione arguitur ad ejus contradictorium,
Vg. petrus dormit nocte, et die non dormit: ergo dormit, et
non dormit. Nonum peticionis principium, cum verbis si-
mulatis idem arguitur quod debebat probari. 10um conse-
quentis, cum ab antecedenti arguitur ad consequens, Vg. si est
homo est animal: ergo si est animal est homo. 11um non
causae, ut causae, Vg. ebrietas est mala; sed provenit a vino:
ergo vinum est malum. 12um multarum interroga-
tionum, que debent dis~~12um~~tingui, ne falso se-
quantur.

Sophistici arguenti respondere potest solutione aparen-
ti vel vera. aparenti inquam, quia licet non solvat argumen-
tum, sed videatur solvere, satis datur arguenti, cum pro apa-
rencia alia aparencia retribuitur. Solutio vera est illa, qua
ostenditur unde oriatur falacia sophismati, ideoque maxime
inquirenda est causa, ut ejus falacia detegatur. Ceterum con- 41
tra sic arguentes oportebit uti multiplici, et frequenti distin-
cione.

INSTITUTO CARO Y CUERV
BOGOTA